



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber XV. Quo ostenditur, quantum pugnet D. Augustini autoritas cum multis aliis erroribus, quos hâc defendi posse persuadetur rudioribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

se. Vanum ac inane esse nomen meritorum; sortes nostras ita jamtum certas, ac raras esse, ut operam perdat, qui mutare nunc allaborer, quod mutari non possit.

2. Quoniam gratiam spectat, consentiunt primum omnes Catholici, sine interiore hoc Dei dono non modò nullas nos habere vires faciendi actum bonum, sed nè volendi quidem, aut desiderandi. Consentunt, diversos esse gradus gratiæ, ita ut modò major, modò minor concedatur, eam tamen, quæ ad cognoscendi, adorandique Dei, benèque vivendi facultatem necessaria est, summâ clementiâ concedi omnibus. Consentunt quantumcunque demum vehemens, & efficax sit gratia, nunquam tamen ita intendi, ut necessitatem inferat, volente nimirum omnium rerum Domino, bonas nostras operationes nullâ esse necessitate constrictas. Consentunt, quocunque demum modo explicetur gratiæ efficacia, ejusmodi tamen eam esse debere, ut nè hilum officiat libertati indifferentiæ. Secundum hæc autem, quæ obsecro relinquatur gravis controversia? Disceptatur accedendi ingenii, atque viarum indagandarum causâ, quibus evolvatur, clariùsque ob oculos ponantur ea, quæ omnes cæteroqui fatentur explicari satis verbis nunquam posse. Secus se res habet cum sectariis, qui classicas omnium sæculorum doctrinas subvertentes, aliam dari nolunt gratiam, quàm supremam, & triumphatricem; constitui nos per hanc in abso-

lutâ necessitate bene operandi; omnia ipsi permittenda esse, omni à nobis in ipsam curâ rejectâ; nullamque concedi gratiam nisi hominibus ad Celestem gloriam destinatis.

3. Duo habemus fidei capita, quæ secum videntur pugnare. Nimirum, quod homo libero polleat arbitrio; & quod homo spectatâ salute æternâ ex se non possit nisi malum, Apparens hæc antilogia duas suscitavit hæreses; alteram Pelagii, dicentis hominem posse ex se bonum perinde ac malum; alteram Lutheri, & Calvinii, docentium post Adami peccatum non liberum ampliùs, sed servum esse arbitrium. Pluribus jam locis intelleximus, eximio Doctore nostro quo modò Catholici utrumque scopulum declinent. *Homo sine Divina gratia non habet facultatem merendi.* En primam debellatam hæresin! *Gratia autem, quæ ad hoc ut quis possit ad Deum converti, necessaria est, omnibus ab ipso conceditur.* En alteram quoque debellatam! *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Est igitur potestas, en unum fidei caput! sed ideo est, quia datur nobis à Deo; en alterum! Atque hic tribus inclusum verbis habes systema universum Augustiniani! Dogmata ipsius tribus aliis concludi in hunc modum possunt: *bonum totum à Deo est: malum contra totum à nobis est.*

(1) Retr. l. 1. c. 22.

FINIS LIBRI DECIMI QUARTI



HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XV.

Quo ostenditur, quantum pugnet D. Augustini authoritas cum multis aliis erroribus, quos hæc defendi posse persuadetur rudioribus.

PROSEQUEMUR hoc libro, telam, quam libro superiore non licuit totam pertere, planè atque explicatè proposituri veritatem Augustiniani systematis, ostendendo, quanto intervallo S. Doctor disjunctus fuerit ab opinionibus, quas ex eodem Quesnellum derivasse præseferunt factiosi. Quo prætermisso manca foret historia nostra, quâ polliciti fuimus antiquorum hæc in materiâ dogmatum, ac præcipuè Augustinianorum omnium feriem summâ fide, ac curâ exhibere. Legi-

tur in propositionibus damnatis, ¹ fidem esse primam gratiam; non dari gratiam, nisi per fidem, extra Ecclesiam autem nullam concedi gratiam. Involvunt hic sese & error contra dogma, & aperta repugnantia. Quo enim pacto ad fidem adducuntur infideles, si nemini, nisi fideli conceditur gratia? quo item pacto fides esse potest prima gratia, si sine præveniente gratiâ haberi nequit fides? Consonant ista cum Jansenio docente: ² primam gratiam esse fidem; cum thesibus Bajanis: ³ omnia

Dogma Quesnelli & Jansenii.

(1) Prop. 26. 27. 29. (2) Jans. de gr. Salv. l. 3. c. 11. 3. Baji prop. 25.

G g 3

infidelium opera esse peccata; & Philosophorum virtutes esse vitia; item cum dam-natis ab Alex. VIII. Qui¹ non est in sinu Ecclesiae, cum nullum à Christo accipere influxum; nec gratiam ullam sufficientem; & necessariò in omnibus actibus suis pec-care infidelem. Omnia hæc progugnare factiosi conantur, tanquam dogmata nixa autoritate Augustini; ideòque ob dicta nonnulla, quæ adferuntur à toto contextu avulsa; aliòque planè sensu, quàm suo, ac proprio repræsentantur.

Dogma Au-
gustini.

2. SCRIPSIT ipse: ² fides prima datur, ex qua impetrentur cetera; scripsit: Per fidem impetratio gratiæ; scripsit: quantumlibet autem opera infidelium prædicentur, ejusdem Apostoli sententiam, veram novimus, & invictam: omne quod non est ex fide, peccatum est. Pronunciata hæc omnia in S. Patre nostro doctrinam continent Evangelicam; sufficitque ea intelligere, ut quis agnoscat, quàm malè iis abutantur factiosi. De prædestinatione SS. rerundit argumentum, quo Semipelagiani hujus initium sibi arrogare conabantur, dicentes, non operum, sed fidei merito obvenire gratiam; cum habeamus ex S. Paulo quidem, quod non sit ex operibus, non autem, quod non sit ex fide. Respondet Sanctus, ³ Ita verò est, sed ipsam quoque fidem Dei opus esse... ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera; quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè (hoc est christianè) vivitur. En igitur, quomodo dicat Augustinus anteriorem quidem esse fidem operibus meritoriis, & Christianis; nunquam autem illà gratià, qua ipsa fides produ-citur; cum è contrario semper docue-rit: ⁴ præveniri, & fidem à gratià; nec, nisi vocando præcedat misericordia Dei, credere quonquam posse. Sic ait: Fides impetrat gra-tiam, quæ lex impleatur, & bene vivatur. Ex eo, tamen, quod fides prima virtu-tum sit; non sequitur, prævium ad ipsum auxilium non requiri. Vidimus, dixisse antiquos Patres, principium venire debe-re à voluntate; at non per hoc intellige-bant, posse istius modi venire in princi-pium sine Deo. Neque malitiosè erroris an-sa ex eo capienda est, quod gratia habi-tuali, & sanctificante non gaudeant, nisi fideles. Quo jure amabo Magister noster dici potest censuisse, nullum infidelibus gratiæ præstari influxum; siquidem addu-xit, totiesque interpretatus est effata illa Scripturæ: *Expandi totà die manus meas populo incredulo, & contradictori. Venite ad*

me omnes. Non vult quonquam Deus perire. Ecce sto ad ostium, & pulso. Inexcusabiles sunt &c. qui toties item expressit: Non omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; nec illi, qui venire noluerunt, debent alteri tri-buere, sed tantum sibi. Ut autem rectè in-telligamus, an potuerit unquam ipse per-suadere sibi, nullam unquam infidelibus suppeditari gratiam, observasse sufficiet, ubi docet: Nullam esse animam, quamvis perversam; quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus.

3. NEQUE perperam intelligendum, aut ultra quàm fas foret, urgendum est dictum illud Augustini: Quantumlibet ope-ra infidelium prædicentur, Apostoli tamen sententiam veram novimus, & invictam: omne quod non est ex fide, peccatum est. Agens enim ibidem de cibis Apostolus, & diver-sà circa illos hominum fide, ac opinione, laudavit eos qui agebant bonà fide, & se-cundum conscientiæ dictamen: quia, qui cibum aliquem credit esse veritum, peccat, eundem comedendo. ⁵ Ità declaravit Au-gustinus, quando monuit: ⁶ de cibis Apo-stolum ibi fuisse locutum, poruissetque hanc sententiam, occasione eorum, qui obstina-tè reprehendebant, homines bestiarum jam immolarum carnes coëmentes in macel-lo, & quoniam sciebant, se salvà conscientià id facere posse, eos promiscuè cum aliis capientes; illorum item causà, qui nimia religione ab omni carne, & vino libitem-perantes de aliis temerarium ferebant ju-dicium. Bonam itaque asseruit hanc fidem Augustinus, quæ creditur omnia munda mundis. Quandoque tamen ipse verba hæc consideravit sola, atque à suo contextu avulsa, fidei tamen nomine religionem Christianam intelligens. Ità quoque fecit, quando dixit: quia ⁷ justus ex fide vivit; si-ne ipsa verò etiam, quæ videntur bona opera, in peccatum vertuntur; omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. Ità porro fecit ip-sius insistentis vestigiis S. Leo, ita & per aliquod tempus fecerè complures alii. Hoc modo qui actiones infidelium vocat pecca-ta, facit id comparatè ad alias; indicatque quantum sint omnes & viliores, & dis-junctæ ab illis, quæ à principio proce-dunt supernaturali; significans porro, ste-riles illas esse, atque ad vitam futuram inutiles; adeò, ut ad finem ultimum con-sideratæ cum meritoriae non sint, se ipsis æquè sint inutiles, ac si peccaminosæ fo-rent. Hoc sensu ea sola ⁸ bona opera dicen-da sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei; hæc autem necesse est antecedit fides. Potest sinè

(1) Prop. 5. & 8. inter 31. (2) de præd. SS. n. 12. de Spir. & lit. n. 52. de gest. Pel. n. 34. (3) de præd. SS. n. 12. (4) de don. per. n. 41. ad Simpl. l. 1. qu. 2. n. 7. de Spir. & lit. n. 52. (5) Rom. XIV. 22. Tu fidem habes? ... 23. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est &c. (6) Con. Jul. l. 4. n. 24. Exp. quar. prop. ep. ad Rom. n. 78. (7) ad Bonif. l. 3. n. 14. (8) in Pf. LXVII. n. 41.

his esse virtus, sed falsa, & adulterina. Hinc Augustinus stylo suo phrasium vehementiorum amante dixit: *Omnis infidelium vita peccatum est*; & nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest cognitio aeternae, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.¹

Saepe ethni-
corum
opera sunt
peccaminosa
non semper.

4. ADDE, quod etiam secundum Ethicam naturalem, & Philosophiam res rarissima, ac vix possibilis futura sit, ut vera in infidelibus virtus videatur; quia vera virtus complecti omnes debet. Et sanè quotusquisque illorum est, qui non aliquo fuerit vitio contaminatus? Laudatur fortitudo impudici, & extollitur constantia avari. Omnis insuper actio speciem suam desumit à fine, adeo quidem, ut quantumcunque etiam pulchra & illustis mundo videatur, ex hoc solo possit fieri intrinsecè mala. Jam verò quotusquisque illorum fuit, qui ad opera honesta solà moveretur honestate? nec aliquà aut vanitate aut gloriolae cupiditate, aut alio quodam occulto fomite incenderetur?² Virtutes ipsorum inflatae, ac superbiae sunt, ac ideo vitia sunt potius quam virtutes. Hinc etiam dixit Augustinus: bonum agere, sed non bene agere, quisquis id agit humanae laudis amore; dicit item aliquas actiones de se bonas non recto sine peccatum esse. Ad veram virtutem requiritur etiam constantia habituum; quae autem illorum in tota serie non fuit inaequalis? Rectè igitur dixit D. Augustinus, fortitudinem, quae non est à Deo,³ duritiam esse, non fortitudinem. Neque ab ipso solo hæc fuit expensa veritas. Consideravit sæpenumero Chrysostomus, neminem fuisse gentiliū, omnis vitii expertem. . . atque ipsorum celeberrimos vanæ saltem gloriæ dominari fuisse subjectos. Et sanè egregios planè, ac stupendos planè scripserunt libros de gloriæ contemptu, temperare tamen sibi non potuere, quin suum iis nomen præfigerent; de opum despectu egerunt præclarissimè, at ipsarum harum investivaram famam easdem aucupabantur.

5. CÆTERUM quando actiones eorum, qui extra Ecclesiæ gremium degunt, re ipsa bonæ sunt in genere moris, contendendum non est, quod Augustinus ea habuerit pro peccatis, adeo, ut abolitam voluerit honestatem naturalem, bonitatemque moralem; putaretque peccare huiusmodi hominem, quando erogat eleemosynam, aut nutrit parentes. Certè non intellexerit ipse, Apostolum, quando dicit: *Gentes quæ legem scriptam non habent, na-*

turaliter, quæ legis sunt facere, docere voluisse; evadere hæc peccata, cum fiunt à gentilibus. Nunquam operationes bonas gentiliū damnavit in seipsis; sed dixit peccatum esse, & imperfectionem, non de his in Deo gloriari.⁴ Non quia per se ipsum factum, quod est nudum operis, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat peccatum. Genuinus ipsius sensus apparet, ubi asserit, multos illorum extitisse, qui⁵ excepto Dei cultu, in ceteris moribus, parsimonie, continentie, castitatis, sobrietatis, ob patriæ salutem contemptæ mortis, fidei etiam inimicis servatæ imitandi merito proponuntur. Apparet idem, ubi docet, ad salutem æternam nihil prodesse impio aliqua bona opera; quo non negat bona esse; imò subjungit etiam omnem impium quædam bona facere opera; sed negat conferre illa quidquam ad vitam æternam.⁷ Ante fidem quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Apparet, quando affirmat:⁸ *Impiorum . . . quædam tamen facta nos legere, vel nosse, vel audire, quæ secundum iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus: verum etiam merito, rectèque laudamus.* Non dixisset sanè, laudanda esse peccata. Apparet, quando declarat: *Non planè in animâ humanâ imaginem Dei vel infidelitate, vel terrenorum affectuum labe detritam esse*; item non penitus per impietatem aboleri vim illam naturæ insitam, quâ legitimè aliquid anima rationalis sentit, & facit.⁹ Quamvis aliud sit de pietate, quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam. Apparet, ubi observat, Romanorum imperium virorum tantorum¹⁰ virtutibus præclarum fuisse, ac gloriosum; quibus si neque hanc Deus terrenam gloriam excellentissimi imperit concessisset, non reddidurus fuisset mercedem eorum . . . virtutibus; cum præmium illis æternum concessurus non sit. Apparet, ubi notat: ¹¹ *constitutam fuisse, auctamque ipsorum virtutibus rempublicam*; & licet non habuerint veram pietatem erga Deum verum, quæ eos etiam in æternam Civitatem posset deducere: custodientibus tamen quandam sui generis probitatem, per vastissimum hoc regnum ostendisse ipsis Deum quantum valerent Civiles etiam sine verâ religione virtutes. Commemorata etiam fuit in SS. paginis, Romanorum fides, & humanitas florente Republicâ; servata cum hominibus pacis amantibus amicitia, & alienus à turbis Civilibus, atque invidia animus.¹² Ex quo facile quivis intelligit, non dicturum fuisse unquam Augustinum, quod jure lauden-

(1) in Pl. XXXVIII. n. 8. (2) de Civ. D. I. 19. c. 25. Con. Jul. I. 4. n. 22. (3) in Pl. CIII. Serm. 4. n. 14. Chrys. in Jo. hom. 27. in Eph. hom. 12. in I. Cor. hom. 8. (4) Con. Jul. I. 4. n. 30. (5) ep. 164. n. 4. (6) de spir. & lit. n. 48. (7) in Pl. XXXI. n. 4. (8) de spir. & lit. n. 48. (9) ibid. (10) de Civ. Dei I. 5. c. 18. (11) ep. 138. n. 17. (12) 1. Mach. VIII. 1. - 12. 16.

tur, ac praeiio compensentur virtutes, & bonae Paganorum actiones, si illas censuisset esse peccata. Quantum porro abfuerit ab eo, ut excluderet virtutes merè morales, rectasque Infidelium actiones in se peccaminosas crederet, apparet itidem, ubi affirmat: ¹ obfetricibus Aegyptiis, & Jerichuntinae meretrici bene fecisse Deum, quia in homines Dei mifericordes fuerunt, & benignae.

6. QUANDO opponunt, docuisse creberrò Augustinum, non dari virtutes in infidelibus, propterea quòd actiones virtuosas non referentes ad Deum, peccent ob pravum finem; non advertunt, non agere illum ibidem de virtutibus merè moralibus, sed de Christianis. Contra assertionem ipsius, quod verae virtutes sint dona Dei, nec nostris possint viribus acquiri, obmovebant Pelagiani ² videri pudicitiam, sobrietatem, modestiam, & æquanimi- tatem etiam in Gentilibus. Respondēbat Augustinus: de illis se agere virtutibus, de illis operibus bonis, de illo bono hominum, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnūque perducī. Iplis contra fatentibus, iactata illa à se opera bona eos ad salutem sempiternam, regnūque non perducere. Solas itaque virtutes Christianas, & meritorias, veras ipse virtutes appellabat; idēque dixit: Sed absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus: absit autem, ut sit iustus verè, nisi vivat ex fide item: si ergo ad consequendam veram beatitudinem... nihil profunt homini virtutes, nullo modo possunt esse verae virtutes. Hinc est, quod iure dixerit, peccare ipsos sine, hoc est aberrare à fine Christiano: unde Christianè loquendo possunt vocari quodammodo peccata, hoc est errores. Quandoquidem ³ quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia praecepit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Sic etiam rectè dixit actus virtuosos sapissimè etiam in genere moris vitiari, quia in finem etiam moralem peccant homines, facientes actiones & se honestas stultā, & noxiā voluntate. Avari lucrorum vias prudenter excogitat; eaque de causā asperere multa, & molesta forti animo tolerant; temperantes sunt, & sobrii, abstinent actionibus iniustis, ut famam sibi comparent, neque in ius vocentur. Idem dictum esto de ceteris vitiis, qui speciem virtutis duntaxat progignunt. Virtutes autem istae tali fine turpes, atque

deformes sunt & ideo nullo modo germanae veraeque virtutes.

7. Ex haecenus dictis facillè elucet, quod nunquam existimari omne gratiae lumen negari infidelibus; imò docuit bona opera infidelium non fieri ab ipsis sine aliqua gratiā, cum dixerit, non ipsorum illa esse, sed illius, qui bene utitur ⁴ malis; unde certissimè non crediderit illa esse peccata. Proveniunt haec ab illo gratiarum ordine, qui dat nobis existentiam; & cui debemus doctes naturales corporis, & animi. Alius naturae status est, alius gratiae. Utrique concedit Deus auxilia, quae eidem sint temperata. Loquens Author noster contra Stoicos: ⁵ Est virtus animi, inquit, res laudabilis: prudentia mala, & bona discernens, iustitia sua cuique distribuens; temperantia libidines cohibens; fortitudo molestias æquanimiter sustinens. Magna res, laudabilis res. Lauda Stoice, quantum potes: sed dic, unde habes? Non virtus animi tui te facit beatum; sed qui tibi virtutem dedit, qui tibi inspiravit, & posse donavit. An dicemus credidisse ipsum, inspirari posse à Deo peccata? Dissertuit praeterea saepe de lege naturali in omnium animis aequaliter descriptā. ⁶ Quis scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? ⁷ Manus formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias! atque ita deinceps de aliis principiis; quae si violantur, rei iure plectuntur: Si observantur, etiam infidelibus Divina prospicit misericordia. In epistola quadam agit speciatim de peccatis infidelium, quae sunt, licet legem scriptam non habeant, cum transgrediantur legem, quam ipsa dictat ratio. ⁸ Inter principia naturalia referri & illud debet, quod ex rebus conditis agnoscamus Conditorum. Ideo iterum iterumque docet Augustinus: ⁹ Deum ubique esse praesentem; qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet. Unde non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis querere, quod ignoras. Postquam dixerat: Christus ubique praesens est, quia ubique est veritas; sibi objicit: Sed quid agimus de infidelibus? nunquid illis non est praesens? ¹⁰ respondet: Est praesens & illis; sed quibus eam videant, oculos non habent cordis. Quo innuit, defectum esse in voluntate. Audi igitur de illis ex Evangelio ipso prolata sententiam: Et lux lucet in tenebris, & tenebrae eam non comprehenderunt. Quale autem caeco remedium suggerit? se mundet, ¹¹

(1) Con. med. n. 32. (2) Con. Jul. l. 4. n. 14. 33. 17. 19. (3) n. 21. 32. 19. (4) Con. Jul. l. 4. n. 32. (5) Serm. 150. n. 9. (6) de Serm. Dom. in mon. l. 2. n. 32. (7) in Ps. LVII. n. 1. (8) epist. 157. n. 15. (9) de lib. arb. l. 3. n. 53. (10) in Jo. Tr. 35. n. 4. (11) in Jo. Tr. n. 19.

unde

unde possit videri Deus. Vitia, & iniquitas impedimento sunt: tolle inde ista, & videbis sapientiam, quæ præsens est. Paganus igitur¹ non habent gratiam Dei per Jesum Christum. Non est tamen² secundum ipsius doctrinam anima, quamvis perversa, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia non loquatur Deus, quodam modo; quæque non habeat aliquod vocationis genus. Hinc adduxit ex Sacris paginis:³ Impios non faciet salvos, eo quod noluerint scire Dominum. Item:⁴ non cessant Cælum & terra, quantum in ipsis est, dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Ex omnibus his facile colligitur, quomodo Augustinus cum rerum conditarum locutione, quæ gratia extrinseca est, interiorum intellexerit conjunctam; sine hac enim non essent culpæ obnoxii; nec diceret: loqui in eorum conscientia Deum. Quando scripsit, expeturos infideles potestatem Dei in puniendo, cuius in donis misericordiam contempserunt, satis ostendit, non credere se illius ipsos misericordia, & donis privari. Annon observavit ipse acceptas⁵ fuisse elemosynas Cornelii Centurionis, & exauditas orationes, antequam credidisset in Christum?

8. UNDE constat nobis quàm secretis inspirationibus, quàmque occultis collustrationibus adjuverit Deus etiam barbaros, quàmque diversâ illos viâ conducat? Priscis temporibus⁶ regnavit mors ab Adam ad Moysen; nec lex data per Moysen potuit regnum mortis auferre, quod sola Christi abstulit gratia. Hoc non obstante novimus, bene multos eorum, qui ante Christum vixerunt, in ipsum credidisse, ac salutem fuisse adeptos. Constat ex S. Patre nostro, salvatum fuisse pium latronem sine baptismo; baptismi enim vices præstitit desiderium animo conceptum; ⁷ potestque non tantum⁸ passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deest, supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis. Constat item ex ipso, quod⁹ converti omnes homines possint, si velint: quia Celeste illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Discimus etiam ex Symbolo, descendisse de Cælis Servatorem, non propter nos fideles; sed propter nos homines. Quæ omnia si in unum cogimus, facile intelligimus, quàm præposterè multi mentem Augustini fuerint interpretati; quàm item falsum sit, quod, quicumque gratiâ habituali, & sanctificante caret, omni etiam priveretur actuali gratiâ; quâ assertionem ab omni qui aut Christianus non est, aut gratiâ sancti-

ficante destitutus, omnis etiam boni moralis potestas, & omnis ad conversionem disponens cogitatio excluditur. Verissimum quidem est, non posse, hominem peccato obnoxium mereri, quippe cuius actiones steriles omnino sunt; conditione ipsius multum accedente ad statum servorum antiquorum; qui, quoniam cives non referebant, nec acquirere poterant agros, nec possidere. Hoc tamen non vetat, quominus benignos quandoque percipiant influxus, quorum beneficio tam multos videmus converti. Non itaque contra, sed potius secundum mentem Augustini Concilium Tridentinum anathemate feriit omnem, qui dixerit:¹⁰ opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quæcunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri. Non crediderit sanè, quod Propheta Daniel quando exhortabatur Nabuchodonosorem, ut¹¹ peccata sua elemosynis redimeret, ipsum ad mali quidpiam cohortatus fuerit; neque quod Rex ille, quando glorificavit Regem Cæli, ejusque iustitiam, & potentiam confessus est, novum admiserit peccatum.

II. QUEMADMODUM autem ex laudibus quas fidei merito tribuit Augustinus arrepta ansa fuit, suo quasi pallio errores aliquos recentiores obvolvendi; ita pariter ex encomio quo caritatem profequitur; captata fuit occasio alios quosdam eodem obregendi. Ac primum quidem, ex eo quod tribuerint ipsi paradoxum illud, quod omnia Paganorum opera sint peccata, utpote à fide non derivata, consecutum est, ut & aliud eidem tribuerent, quod itidem ea credat esse talia, quia non niterentur caritate. Quo factum est, ut ad deformandas virtutes non Theologicas modò, sed & morales, atque ad subvertendum omnem rectum ethicæ doctrinæ ordinem novum planè Sylltema funditus erigeretur, tanquam ab Augustino, uti jactitare consueverunt, petitum. Et quemadmodum solidum Ethicæ disciplinæ studium à multo jam tempore pene exolevit; darique etiam in illo locus cœpit Systematis, & tricis, detorto, ac quoad fieri potuit, depravato omni communi principio, & dictamine: ita & hæc in materiâ omnis generis paradoxa nullo negotio admittuntur. Perutile foret ad multas declinandas amphibologias, observari axioma pulcherrimum studii ethici indicatum à D. Thomâ. Ingenium hoc admirabile hoc in argumento acutum magis vidit, quàm ceteri; atque eximium planè

(1) Serm. 104. (2) De Serm. Dom. l. 2. n. 32. (3) in Job. tom. 3. p. 661. (4) Conf. l. 10. c. 6. (5) de præd. SS. n. 12. (6) epist. 177. n. 19. (7) de qu. 83. qu. 62. (8) de bapt. l. 4. n. 29. (9) de Gen. con. Man. (10) Sess. 6. Can. 7. (11) Dan. IV. 24. 34.

ac singulare dedit documentum, quando monuit: Virtutes bifariam ab¹ antiquis considerari ac dividi fuisse solitas; ab aliis nimirum secundum subjectam materiam; ab aliis secundum modum. Quam animadversione neglecta infinita antiquorum scriptorum loca sinistrè intelligentur, credenturque temerè atque inconsideratè quid effutire. Cum videre sit alium id temperantiae tribuere, quod alius adjudicat fortitudini, atque ita porro de ceteris. Qui eas consideravit secundum modum, observavit, quatuor modis animum nostrum ferri in honestum; quoniam utetur aut discerniculo, aut rectitudine, aut firmitate, aut refrenatione. Secuerunt itaque virtutes quadrifariam; in prudentiam nimirum, in iustitiam, temperantiam, & fortitudinem; omnemque ad aliquam ex his reduxerunt habitum, prout nempe plus ex uno, quam alio modo ex ante dictis trahit. Contrà qui easdem consideravit in ordine ad subjectam materiam, majorem multò illarum recensuit numerum; cum multae sint materiae, eaque diversae, circa quas virtus versatur. S. Augustinus pro more inter PP. recepto, priori inhaerit regulæ; unde saepius docuit; *quatuor describi à multis virtutes*² & in Scripturâ inveniri. De Civit.³ *Virtutem in quatuor species distribuendam esse viderunt.* Egit de illis ex instituto in alio quodam libro,⁴ ubi hanc assignavit definitionem: *Virtus est animi habitus naturæ modò, atque rationi consentaneus.* Et postea: *habet igitur partes quatuor.* Neque solum hic eas definit, sed etiam ceu partes cardinalium enumerat virtutes singulares, modestiam revocans ad temperantiam; patientiam ad fortitudinem, atque ita porro.

Non omne opus malum est, quod non procedit ex amore summo.

2. JAM verò, secundum recentiorum quorundam, theoremata, non fuit hæc Augustini Ethica; sed non esse, nisi unam solam virtutem, puta, amorem Dei; idque ideo, quia de Divino amore agens dixit aliquando:⁵ *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei...* sic enim definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei, quod amatur; fortitudo amor, quæ tolerat omnia pro amato; atque ita de reliquis. At quis non videt non habere hic Augustinum sermonem de virtutibus moralibus; sed loqui de supernaturalibus, quæ Deum respiciunt? Quis non videt non accipere ipsum hoc loco amorem pro habitu singu-

lari; sed pro omni motu voluntatis sano, & superiore? Quis non videt, dicere hic ipsum caritati quandam quasi panegyrim; illamque sententiam tanquam cogitationem potius rhetoricam, quam doctrinam morum adducere? Verum equidem est, docere hic ipsum, quod amor Dei se immisceat; partemque habeat in virtutibus omnibus Christianis, atque ad omnes producendas concurrat. Id quod & ab ipso expressum fuit, ubi dixit:⁶ *quarta virtus, h. e. iustitia, quæ per ceteras omnes diffunditur est dilectio Dei, & proximi.* Sed num ideo confundendi inter se sunt habitus virtutum, aut tanquam inutiles proscribendi? Dixit etiam aliquando Augustinus, aliam animi motionem non esse, quam amorem:⁷ *ita ut amor inhiat habere, quod amatur, cupiditas sit; id autem habens eoque fruens letitia sit; fugiens, quod ei adversatur, timor sit, idque si acciderit, sentiens tristitia sit.* An ideo non erunt amplius diversae affectiones animi? Dixit etiam, duobus præceptis caritatis contineri non solum disciplinam morum, & Politicam; sed & Phycam & Logicam.⁸ An ideo accipiendum hoc dictum erit uti sonat, Logicæque & Physiologiæ in caritate studendum?

3. UTI morales, ita & Theologicas virtutes ad caritatem revocasse dictum fuit: quandoquidem doceri ab ipso affirmant, non peccare solum infidelem etiam actionibus bonis in genere moris; quia eas per caritatem ad Deum non refert; sed etiam peccare Christianum actionibus Christiano modo bonis; si ad has non moveatur caritate. Hoc idem planè est, ac imputare ipsi, quod docuerit aliam non esse virtutem. Qui enim fidem & spem virtutibus Theologicis accenser, nunquam profectò dicer, actus fidei, & spei non esse de se Christiano modo bonos. Dixit quandoque Augustinus:⁹ *Caritas est, quæ sola bene operatur;* & post Apostolum: *Si caritatem autem non habeam, nihil sum.* Verùm hi sunt modi loquendi, quibus refertum est nostrum idioma; nec aliud innuunt, quam caritatem esse maximam virtutum; majusque ab ipsa provenire meritum.¹⁰ *Omnia bona opera nostra unum opus est caritatis; plenitudo enim legis caritas;* docente Apostolo:¹¹ *Fides, spes, caritas; tria hæc; major autem horum est caritas.* At dixit etiam Augustinus:¹² *Habent nunc homines in fide, in spe, in caritate, in bonis operibus virtutes suas.* Com-

(1) S. Th. 22. qu. 58. art. 2. Virtutes cardinales dupliciter accipiuntur: Uno modo, secundum quod sunt speciales virtutes, habentes determinatas materias; alio modo secundum quod significant quosdam generales modos virtutis. (2) in Pf. LXXXIII. n. 11. (3) de Civ. D. I. 4. c. 20. (4) de qu. 83. qu. 31. (5) de mor. Eccl. Cath. I. 1. n. 15. (6) de quæst. 83. qu. 61. n. 4. (7) de Civ. D. I. 14. c. 7. (8) ep. 137. n. 17. (9) Serm. 165. n. 4. in Jo. Tr. 9. n. 8. (10) in Pf. LXXXIX. n. 17. (11) 1. Cor. XIII. 13. (12) in Pf. CIX. n. 14.

posuitque Tractatum, quò docet: ¹ *fide, spe, charitate colendum Deum*. Tres itaque credebatur, potestque igitur & una secundum ipsum exerceri separatim ab aliâ. Igitur falsum est, cogitasse unquam ipsum, actus fidei, & spei, nisi simul sint actus charitatis, non esse Deo acceptos, imò peccare in primum præceptum, id quod nonnulli modò stolidè tuerentur. Scripsit contra ad Paulinum: *Hanc enim fidem volumus, habeant, quâ impetrent charitatem*. Habent igitur actus fidei virtutem impetrandi; licet non certò cum habituali caritate conjuncti; quippe quæ tum nondum existit. Dixit de Præd. SS. *Fides prima datur, ex quâ impetrentur cetera*.² Dixit in psalmum quendam: *Quia credidisti, sperasti; quia sperasti dilexisti*. Non igitur secundum Augustinum fidei & spei initium est charitas; neque fides, & spes sunt una eademque caritas, quæ credit, & sperat. Sed è contrario tanquam per gradus virtutum fides ad spem, & spes ad caritatem deducit. Quàm insolentes non disseminantur errores ad perturbandum rudioribus cerebrum!

4. MAGNO sanè strategemate ad falsa sua principia consolidanda usi sunt indagantes ea loca in Patribus, quæ si verba spectes, favere ipsorum causæ videantur:³ Prædicans S. Leo, quanta consecuturi essemus bona, si nihil aliud, quàm quod amandum habetur, amavimus. Duo, inquit, amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates. Animus aut Dei amator est, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Scripsit Augustinus:⁴ *Fecerunt itaque Civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: Cælestem verò amor Dei usque ad contemptum sui*. Cohortans itaque, ut ad Deum convertamus amores, & pericula timeamus; monet eos, qui hoc facere omittunt: ⁵ *regnare carnalem cupiditatem, ubi non est caritas, & qui noluerit servire caritati, necesse esse, ut serviat iniquitati*. Ex probissimis hisce admonitionibus venenum suxere factiosi. Recudit Quesnellus assertiones jam olim damnatas, (*) cum affirmavit non esse nisi duos amores; quorum unus agat omnia propter Deum, alius autem omnino sit ad mundum conversus; atque ab alterutro horum omnes nostras actiones, ac volitiones procedere. Posset hic dici, aliud esse loqui Oratoriè, cohortando ad majus bonum; aliud loqui Dogmaticè, deducendo inde consecutiones falsas, & hæc eri-

cas. Monendus deinde lector est, ex eo, quod prævaleat in unoquoque Dei amor, & caritas, hoc est virtus Christiana generatim; aut amor mundi, & cupiditas, hoc est mali mores, & inclinatio perversa, quemadmodum dixere SS. Patres, aliud non consequi, quàm omnem actionem, & cogitationem quæ a caritate non est, peccaminosam esse, & perversam, uti in thesi ante relatâ Author affirmat. Doctrinam hanc, ejusque consecutaria accuratè intelligere qui cupit, legat postmodum 23. propositiones, quæ post hanc in Bulla recensentur.

5. SECUNDUM has omnis actus non immediate à Dei super omnia amore productus erit peccatum; neque id sufficit, sed necesse est, ut proveniat ab homine justo: ex quo fluit, peccata fore omnes actiones communes vitæ, & adiaphoras, peccatum item, quidquid fit à peccatore resipiscente. Fucus qui sententiæ huic adeò paradoxæ illinitur; variæque facies, quas subinde sumit, impedimento sunt, quominus vulgus pestem intus latentem deprehendat. (*) *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Igitur qui peccat, nunquam redibit ad frugem; quia non poterit facere actiones, nisi corruptas, falsasque amoris vitiosas. Qui avaritiæ crimine tenetur ex. gr. cum Sacro interest, aut carnem macerat, non agere id potest, nisi stimulante avaritiâ, quoniam carnalis cupiditas etiam illas actiones corrumpit. (*) *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*. Igitur, qui non est in gratiâ non uti potest sensibus nisi usu pravo, & vicissim, qui est in gratiâ, non potest amplius sensibus peccare. Frustra igitur sacri Oratores tam operosè etiam probioribus inculcant, ut sensus diligenter custodiant. (*) *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic est charitas*. . . . alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia. Unde, qui non Dei amore, sed aliâ quâdam virtute à Deo pariter commendatâ, atque inspiratâ moveatur, uti multis sæpenumero accidit, in boni vicem malè agit. Idcirco malè asseritur: (*) *Nul-* (*) *lum esse opus bonum, sed aberrationem, & peccatum, sine amore Dei*. Vidimus enim & bona opera fieri ab infidelibus, qui Deum non agnoscunt, Christianas autem & bonas etiam illas esse, quæ fiunt ex virtute minùs perfectâ, hoc est amore præmii æterni, aut metu pœnæ æternæ,

(*) prop. 44. usque ad 67.

Explicatur Augustini.

(1) Enchir. n. 3.-6. (2) epist. 186. n. 7. de præd. SS. n. 12. in Ps. CXIV. n. 2. (3) de jejun. Serm. 5. c. 2. & 3. (4) de Civ. D. I. 14. c. 28. (5) Enchir. c. 117. in Ps. XVIII. n. 5.

(*) pr. 50
51. definitivum ultima Oecumenica Synodus. (*) *E frustra clamamus ad Deum, si spiritus charitatis, non est ille, qui clamat; cum fides non operetur, nisi per charitatem.* Anigitur in vanum eum invocabimus ex concepta de misericordia ipsius fiducia? An actum ager peccator, qui vitam emendare desiderans ejus implorat auxilium? (*) *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine; sed haec fides non est absque amore & fiducia.* Qui igitur fidelis non est, aut charitatem non habet, consequi eam nunquam poterit; has enim virtutes ut gratiae auxilium praecedat, necesse est; hic autem contenditur, omne medium in ipsa fide concludi. (*) *Sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas eam solam Deus audit; eam solam coronat; imò nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.* En omnes reliquas virtutes proscriptas! En declaratum Atheum, quisquis in peccato est! En impugnatam Scripturam, ubi bona opera ex Dei & inferni timore profecta dilaudat! & ubi tot locis declarat, Deum omnem remunerari virtutem! En erroris damnatam Ecclesiam, ubi peccatores ad orationem hortatur, atque ad pia opera, quae ad emendationem vitae disponant! En impetitam maximè Tridentinam Synodum, quae reprobavit pluribus in locis dicentes, non esse fidem, aut spem, ubi deest charitas; & qui anathema torfit in eum, qui dixerit ¹ eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum.

6. SANCTI Augustinus explicans locum Apostoli 1. Cor. *nihil nos esse, sine charitate. Quanta bona, inquit ² nihil prosunt sine uno bono!* Habet ea pro bonis; at finem Christo ad vitam caelestem non conducunt. Si charitatem non habeo, licet amplas erogem elemosynas, licet etiam ad confitendum Christi nomen perferam vulnera, & ignem; *inania sunt, possunt ista fieri & amore gloriae.* Pergit: *Sunt in homine uno, charitas, & cupiditas. Charitas nascitur in te, si nondum nata est; & si nata est; alatur, nutriatur, crescat.* Cupiditas vero in hac vita extingui penitus non potest. Concupiscentia tamen, & charitas simul sunt. ³ *Non metuedum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum, atque peccatum.* Videamus amabo, an argui possit ipse docuisse, omnem actionem hominis necessariò provenire ab uno extremo, aut à Christiana perfectione, aut ab impietate derestabili, ut ipsi usque adeo actus pietatis Christianae

sint peccaminosi, si non à purà charitate habituali procedant? hominem peccati reum novum admittit peccatum, cum fundit preces, & à gravioribus sese abstinere peccatis? Possitne Sancto, qui de gratiis actualibus tantà egit energià, atque ita crebrò, tribui, quod eas non agnovit, neque aliam, quàm habitualemente admiserit? quando ait: *Si fiat sine caritate, nullo modo sit bene; & ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur;* ⁴ non intelligit per charitatem tertiam virtutem Theologicam; sed quemcunque actum virtutis à gratià inspiratum, & ipsam quandoque gratiam. Usus est hoc nomine frequenter in significatione genericà. ⁵ *Quid est dilectio, vel charitas... nisi amor boni?* Frænanda sunt desideria; non propter gloriam mundanam, sed propter charitatem vitae aeternae. Deus inspirat concupiscentiam bonam, hoc est charitatem.

III. TIMOR DEI, & poenarum tantopere à Scripturà, & Patribus commendatus, per nova haec commenta speciatim vilipenditur, ac pro nihilo habetur (*) ^{(*) prop. 60. 67.} Thesium illarum aliquae hunc in scopum collineant; ducto initio ab illà, in qua habetur, quod poenitentia à metu poenae producta, quo magis violenta est, eò certius ad desperationem deducit. Dixerat jam tum Lutherus, virtutes, exceptà charitate, inane simulacrum esse; & per attritionem, & metum gehennae reddi hominem ⁶ hypocritam, & magis peccatorem. Quae sententia à Tridentinà Synodo conceptissimis verbis proscripta est. Adjungit Quenellus, (*) *Qui vult Deo appropinquare per instinctum naturalem, aut per timorem, agit sicuti bestia.* Volunt itaque positivam esse obligationem, omnem nostram operationem Deo adscribendi, ex amore puro, hoc est ex amore Dei purè propter se ipsum amari; aded ut si quis, id quod in dies accidit, bonum aliquod opus facit, motus pietate, & naturali honestate; imò si id facit motus timore Dei, aut metu poenae aeternae ab ipso intentatae, aut spe Caeli ab ipso promissi, peccet contra primum, & maximum praeceptum, hoc est Divini amoris.

2. OMNIA haec paradoxa per summum nefas impurantur Augustino. Congerunt loca, in quibus timorem deprimit; sed advertendum est, in primis, loqui ipsum ibidem reverà quandoque de metu servili, hoc est, qui solas poenas temporaneas re-

(1) Conc. Trid. Sess. 6, can. 28. (2) Serm. 90, n. 6. (3) de lib. arb. l. 3, n. 66. (4) de grat. & lib. arb. n. 37. de gr. Chr. n. 27. (5) de Trin. l. 8, c. 10. de Civ. D. l. 5, c. 24. de Spir. & lit. n. 6. (6) Luth. in Serm. de poenit. in Asser. artic. Aff. 6. Conc. Trid. Sess. 14, c. 4. Illam verò contritionem imperfectam, quae attritio dicitur... si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat donum Dei esse... non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Verum etiam &c.

Timor Dei utilis est, & salutaris.

(*) prop. 60. 67.

(*) prop. 66.

spicit. ¹ Tantum timent, ne aliquid mali in terrâ patiatur, ne illis ægrotudo accidat, ne jactura, ne exilium. Hunc passim metum intelligit, quando rejicit metum, ob quem plurimi Hebræorum observabant legem antiquam. Alias non agitur de sancto illo timore Dei, qui beatos reddit, qui timent Dominum; ² & quo fit, ut evitetur peccatum, ejusque amor; sed vitioso illo pœnarum metu, qui cum positivo ipsius peccati desiderio conjunctus est; quique cuperet, non existere Deum, quò securior peccandi foret potestas. Hic est timor servorum nequam, conjunctus cum quodam Domini odio. Notari præ ceteris meretur locus, quo dicit: ³ In ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet, non esse justitiam, peccata prohibentem, atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem, vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Hic est timor ille, de quo jure sæpius dixit, per ipsum legem non impleri; & inimicum esse justitiæ, qui pœnæ timore non peccat, sicut amicus erit, si ejus amore non peccet. Certissimè hic non est timor ille pœnæ, quo bona vita retinetur; ⁴ & cujus instillandi causâ, toties ad populum sermonem habuit Augustinus.

3. In sententiis autem hanc in rem adductis advertendum comprimis est, vim positam in eo esse, quod S. Augustinus abstinentiam ab omni peccato ex amore erga supremum omnium bonorum largitorem susceptam anteponat abstinentiæ illi, quæ fit metu inferni, aut Cæli desiderio; id quod ex omnium sententiâ manifestè perfectius est, & nobilius. Quod autem non idcirco malum esse judicavit timorem Dei pœnarumque æternarum, quas interminatus est, adeo crebrò docet, ac demonstrat in libris suis, ut nihil in eo legerit, qui hoc non legerit. ⁵ Et amatur Deus utiliter, & timeretur. ⁶ Qui verò vult fieri Christianus, desiderio beatitudinis, & ut non eat in ignem æternum cum diabolo, verè ipse Christianus est, qui etiam proficiendo perveniet ad amandum magis Deum, quam timendum infernum. In illud S. Joannis: Initium sapientiæ est timor Domini, ⁷ ait: Timor quasi præparat locum charitati... si autem nullus ti-

mor; non est, quâ intret charitas. ⁸ Ad omne opus bonum amor ducit, & timor Dei. ⁹ Spiritus timoris Dei... sine dubio magnum est Dei donum, de quo dicit ipse Christus: eum timete, qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam; ubi ad metum servilem, pœnæ æternæ ipsius Servatoris autoritate nos adhortatur. Verum equidem est, docere ipsum cum S. Joanne: quod ¹⁰ consummata charitas foras mittat timorem; at simul docet, ad caritatem hanc perfectam viam sterni à timore, ¹¹ quoniam pietas timore inchoatur, caritate perficitur. ¹² Hinc scriptum est: Timor Dei initium dilectionis ejus, non consummatio. De timentibus diem judicii dixit: ¹³ Si perfecta charitas in illo esset, non timeret. Quid igitur? Incipiat timor, quia initium sapientiæ est timor Domini: timor quasi locum præparat charitati... si autem nullus timor; non est, quâ intret charitas. Sic alibi: ¹⁴ Nisi timore incipiat homo colere Deum, non perveniet ad amorem. Item: ¹⁵ Cum per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ; & incipit, quod durum erat amari, & dulcescit Deus. Notari insuper meretur, declarari ab ipso in libro de Virginitate, ¹⁶ timorem quem charitas foras mittit, esse timorem hominum, non Dei; timorem item temporalium malorum, non Divini in fine judicii. Nec minùs notari meretur locus, quo exponens epistolam ad Corinth. nominatim suadet, laudatque timorem servilem; tantum abest, ut crediderit motionem versùs illum peccatum esse contra primum, & maximum præceptum. ¹⁷ Charitatem nondum habes; serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, & perducatur ad dilectionem: timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te. Et denuo: ¹⁸ Adhuc enim iste timor servilis est; custos quidem malorum, ut abstineant se à malis, & abstinendo digni sint admitti ad se charitatem. De timore Dei sermonem quandam recitavit Sanctus noster, inter ceteros, cujus hoc est initium: ¹⁹ Multa vobis fratres de timore Dei præcepta sunt, & quàm utile sit timere Deum, innumeraliter Divina eloquia sonuerunt. Hoc quippe est idioma S. hujus Patris, qui modò rudioribus depingitur, tanquam si timorem Dei reprobasset quasi contrarium amoris; & docuisset, quod accedere ad Deum ex naturali instinctu, aut metu ipsius justitiæ, sit agere bestiarum more. Cùm tamen monuerit; rarissimè ²⁰ accidere, immò verò

(1) in Ps. CXXVII. n. 7. (2) Ps. CXI. 1. (3) epist. 145. n. 5. (4) Serm. 348. (5) Con. adv. leg. I. r. c. 16. (6) de car. rud. c. 17. (7) in ep. 1. Jo. Tr. 9. (8) in Ps. LXXIX. n. 13. (9) de gr. & lib. arb. n. 39. (10) in Ps. LXXVII. n. 7. (11) de ver. rel. n. 33. (12) Eccles. XXV. 25. (13) in ep. Jo. Tr. 9. n. 4. (14) in Ps. CXLIX. n. 14. (15) in Ps. CXXVII. n. 7. (16) de sanct. Virg. n. 39. (17) Serm. 161. n. 8. (18) n. 12. (19) Serm. 337. n. 1. (20) de catech. rud. n. 9.

nunquam, ut quis veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus, & de ipsâ etiam severitate Dei, corda mortaliū saluberrimo terrore quati, atque ita demum charitatem ædificandam esse. Vulgatur (*) pr. 65. etiam, docuisse Augustinum: (*) quod Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis nullum dederint Deo filium, cum non fecerint nisi mancipia per timorem. Cū è contrario ipse, quasi insaniis hisce, & pialculis à se præviliis refragaturus, memoriâ proditum reliquerit: ¹ Sive igitur Abraham, sive ante illum iusti, sive post eum usque ad ipsum Moysen . . . sive ceteri Prophetæ post eum, & sancti homines Dei usque ad Joannem Baptistam, filii sunt promissionis, & gratiæ, secundum Isaac filium liberæ; non servæ; non ex lege; sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi.

4. NON minori autem laude S. Pater noster motionem ad bonum ex Cæli desiderio, & spe, aut aliâ virtute impellente profecutus est, quàm timorem. Laudavit Davidem, ² quod inclinaverit cor suum ad faciendas justificationes Dei propter retributionem. Hortatus fuit, ut ³ quando facimus opus bonum, propter vitam æternam faciamus. Observavit, Martyres ⁴ in tribulatione patientes fuisse, quia spe gaudebant . . . & quod non videbant, per patientiam exspectabant. Docet duas esse valvas ⁵ Christo aperiendas, primam aperiiri cupiendi regnum æternum; alteram timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat: per timorem penarum temporalium diabolus intrat; per timorem ignis æterni Christus intrat. Declaravit: ⁶ verè Christianum esse, qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus; & ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo; non rationibus motus fluxarum rerum, sed æternarum. Adjungit, hujusmodi hominem proficiendo etiam perventurum ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timent gehennam. Non itaque ab Augustini sensis discessit SS. Tridentina Synodus, cū anathema comminata fuit omni illi, qui dixerit, justificationem peccare, ⁷ dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.

5. QUI porro? Nonne disertis ipse verbis docuit: ⁸ Inter Divinæ gratiæ species reponendam esse dilectionem? Non igitur sola est, neque semper amor est gratia. Nonne docuit ⁹ magnum Dei donum esse etiam timorem, atque Divinis collustra-

tionibus accensendum esse ¹⁰ timorem cor- repti hominis, pudorem, & dolorem, ortum ex peccato, ideoque ipso nos excitari in majoris orationis affectum. Nonne asseruit omnem in Christum credentem id facere propter vitam beatam, sibi in præmium obvenientem? Quo igitur pacto fugillare potuisset, id, quod provenit à Deo, & solam probare charitatem? Videtur quandoque dicere, adjuvandum ¹¹ Divinum consistere in inspiratione flagrantissimæ charitatis: sed tunc intelligit summam, maximamque gratiam. Quandoque etiam charitatis nomen imponit omni piæ mentis affectioni disponenti ad charitatem; quemadmodum illis concupiscentiæ moribus quæ concitant, ac disponunt ad peccatum, peccati solet nomen tribuere.

IV. SICUTI in hoc, ita & in reliquis hæc cum materiâ cognatis capitibus facile est agnoscere, quàm sectariis contrarius sit Augustinus. Quid aliud esse possumus (*) ait (*) pr. 41. Quæsnellus: nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate? Dixerat jamtum Calvinus. ¹² Subl. to ejus lumine nihil aliud superesse, quàm caliginem, & cecitatem. Quo fieret, ut peccaminosa esset omnis cogitatio non proveniens à virtute supernâ; sequereturque non posse dari naturalem Dei amorem; aut si claretur, peccaminosum fore; id quod citrà horrorem audire nemo sustinet. Notavit Sanctus noster, docuisse Platonem, amare Deum esse philosophari. Affirmavit, principes Philosophorum investigasse naturam, & de operibus artificem cognovisse. Quæ consecutio magis naturalis, quàm emissio cujusdam actûs amoris erga tam admirabilem, ac benignum artificem? Quomodo autem malum & damnabile judicare potuisset tributum adeò æquum, quod conditori suo cor penderet humanum? bonumque adeò principium, ac dispositionem ad verum amorem Deo opitulante consequendum? Nunquid narrat in libris confessionum, quod Ciceronis Hortensius, liber qui interit, & cujus pulchra nobis ipse servavit fragmenta mutaverit suum affectum, & ad Dominum mutaverit preces suas, & vota & desideria fecerit alia? Nunquid docuit, quod etiam amor proximi, quemadmodum nobis præcipitur, ¹³ certissimus gradus sit nobis, ut inhæreamus Deo; immò, quod nullus certior gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quàm hominis erga hominem charitas. Ad summam itaque hanc virtutem per gradus ascenditur, qui, tan-

(1) ad Bonif. l. 3. n. 8. (2) in Pf. CXVIII. Sermon, 23. n. 8. (3) in Pf. CXX. n. 16. (4) in Pf. CXXVII. n. 45. (5) in Pf. CXLI. n. 4. (6) de catech. rud. n. 27. (7) Sess. 6. can. 31. (8) Op. imp. l. 3. (9) de gr. & lib. arb. n. 19. (10) de corr. & gr. n. 7. (11) Sermon, 150. n. 4. (12) de gr. Chr. n. 38. (13) de Music. l. 6. n. 46. de Mor. Ecclesiæ, Cath. n. 48.

tum abest ut reprobentur, ut summopere etiam commendentur ab Augustino. Et quando etiam intra solos naturæ terminos amor subsistit, inutilem illum quidem; at nunquam damnandum reputavit, aut malum. Distinctio porro hic adhibenda est: alia quippe est locutio Oratoria Catholicorum, quando pro concione dicunt, ut hortentur populum, eique virtutum Theologicarum amorem inspirent: alia vicissim est locutio Dogmatica A Catholicorum, id spectans, ut virtutes purè morales omnino aboleat. De illis non ineptè dici eà ratione potest, quod sine fide & caritate omnia sint error, & tenebræ; non item de his, qui hoc dicendo intelligunt peccatum esse, quidquid ab honestate naturali; aliisque virtutibus Christianis procedit; neque doceri nos à naturâ agnoscere Deum, & amare.

2. AUGUSTINUS docet, quod omnes semper professi fuerunt Catholici; quod nempe teneamur amare Deum ex toto animo super omnia; ideoque elicere interdum actus amoris erga ipsum; non illos tamen semper; quia præcepta positiva non obligant, ad agendum perpetuò. Professus item fuerunt omni tempore, quod referre debeamus omnem nostram vitam, omnesque actiones ad Deum, tanquam finem ultimum; & intellige cum intentione virtuali, non semper expressâ, neque ita, ut omnis actio unicè ab huiusmodi amore procedat. Nemo gratiæ magis dignitatem subvertit, quàm istæ doctrinæ, quæ sub e mentitâ charitatem extollendi specie eam reducant ad impossibile. Docet insuper Magister noster, motivum charitatis, & puri amoris esse nobilissimum, sublimissimum, sanctissimum: at non ideo excludit alia motiva, quæ inducunt ad bene operandum; non ideo credit esse peccatum, non semper ex puro operari amore. Suaderi quidem posset, ut semper id fieret; non autem imperari: consuli posset, non præcipi. Quid? quod plurimum detrimenti foret pietas Christiana, si, quod homines in vitiorum ceno immersos ad frugem reduceres, fas tibi non foret æterni eos supplicii consideratione perterrefacere; aliisque huius generis animadversionibus erigere; neque aliud præterquam purum amorem liceret prædicare! Quàm diversa, imò quàm è diametro opposita semper fuit Sancti nostri opinio! ¹ Si autem jam Christiani sunt, & rectè vivere negligunt, verberentur timoribus, & præmiorum laudibus erigantur.

3. Ut deformant magis Augustini sen-

sa, supposuisse ipsum, quidquid à purâ charitate non proficiscitur, proficisci à concupiscentiâ; siquidem inter has medium nihil intersit, ac proinde, quidquid à priori non nascitur, vitiosum esse; atque in huius rei testimonium adducunt, quod dixit de doctr. Christ. ² Non autem præcipit Scriptura, nisi charitatem, nec culpât, nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Eo autem loco charitatis nomine intelligit ipse omnem animi motionem ad bonum; per concupiscentiam autem, & in alio quodam loco per cupiditatem intelligit omnem animi motum ad malum. Quo sensu amor, qui bonus non est, malus est: non tamen idcirco sequitur non dari certos virtutis gradus; nec bonam esse posse actionem illam, quæ provenit ex motivo bono, licet non optimo. Quis sibi persuadeat, quod D. Paulus, quando ad conjuges dixit: ³ Viri diligite uxores vestras! intelligeret id de amore Dei purè propter semetipsum? Hinc Sanctus noster cum de charitate ageret, docuit, charitatem aliam esse Divinam; aliam humanam. ⁴ Neque licitum duntaxat esse, sed existere præceptum ⁵ humanâ charitate diligendi conjuges, diligendi filios, diligendi amicos. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodo charitatis. En medium quid inter charitatem Divinam, & concupiscentiam! Permisit amari filios, amari conjuges, etsi seculariter... quanquam addat: ⁶ Tamen, quando & humanitatis diligitis, plus Christum amate! Non igitur existimabat omnem amorem qui non ferretur in Deum propter se directè amatum, cupiditatem esse vitiosam; ac proinde non censuisset peccatum esse v. c. in gravi necessitate succurrere parentibus, ex affectu naturali, & commiseratione; honestatis, & rationis impulsu; idque vel eò magis, quod virtutem definièrit, esse animi habitum naturæ atque rationi consentaneum; ⁷ quodque idem docuerit: ⁸ dilectionem proximi certum gradum esse ad dilectionem Dei. Verum equidem est, quod cohortatus nos fuerit, nè subsistamus in charitate hac imperfectâ; posse enim ⁹ istam charitatem esse & impiorum, id est Paganorum, Judæorum, Hæreticorum; sed ut cogitationes ad Deum amandum erigamus, quippe quo nihil melius inventuri sumus. At non idcirco affectus rationales & honestos reprobabat, neque ideo significat damnandos & peccaminosos istos esse æstimandos in gentilibus; quanquam ad virtutem nos extimulet, dirigatque perfectiorem.

(1) de nat. & gr. n. 82. (2) de doctr. Chr. l. 3. n. 15. (3) Ephes. V. 25. (4) Serm. 349. n. 1. (5) n. 1. (6) n. 2. (7) de quaest. 83. qu. 31. (8) Con. Adim. c. 6. (9) Serm. 349. n. 2.

4. ADDUCUNTUR etiam loca, quibus S. Augustinus exponit: ¹ *omnes cogitationes & omnem vitam, & omnem intelligentiam in illum conferendam, à quo habemus ea ipsa, quae conferimus.* Et praeceptum amandi Deum *toto corde, tota anima tota mente*, significare, quod nullam vitam nostrae partem debeamus relinquere quae vacet, aut alteri cuidam concedat amori. Extra dubium apud omnes est, cor nostrum debere semper primas dare Deo, praeter ceteris rebus; graviterque peccare, qui ullam ei rem anteponat. Quod attinet, ad referendas cogitationes nostras, omnemque vitam ad Deum per intentionem actualem, & perpetuam, docet ibidem S. Doctor, ita facere hominem, quando optimus est; unde quod frequentius id fiet, eo propius accedemus ad perfectionem. ² *Primum autem hoc praeceptum, in illa vita, ait, implebimus, cum videbimus Deum facie ad faciem.* Neque id in omni actione facere tenemur, sed generatim tantum, ac universè. Si honestae operationes fuerint, & probae, referuntur illae ad ipsum per se facile, ac naturaliter quasi ab homine Divino amore semel imbuto. Sic in alio quodam libro docuit: ³ *Omnes istae, atque aliae tales voluntates suos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, quae volumus beatè vivere, & ad eam pervenire vitam, quae non referatur ad aliud, sed amanti per se ipsam sufficiat.* Hinc rectae sunt voluntates, & omnes sibi met relinquant, si bona est illa, quod cunctae referuntur.

5. NIHIL ita proclive est, quam ex propositione verà, ac pia impiam, ac falsam effingere; levissima vel adiectione vel detractio; aut alteratione in speciem quasi imperceptibili. En tibi exemplum! Edixit saepe Apostolus, *justificari nos ex fide Christi*; scripsitque, apud Jesum Christum tantundem valere eos, qui circumcisi sunt, quam qui non sunt; valere potius fidem, quae per charitatem operatur. ⁴ De his sententiis disseruit non raro Augustinus: At nec Augustinus, nec Apostolus dixerunt unquam, quod ipsis modò tribuere nonnulli cuperent; nimirum (*) quod *fides justificet, quando operatur; sed ipsa non operetur, nisi per charitatem.* Magister noster non docuit, quod *fides justificet*; sed quod ⁵ *justificatio ex fide impetretur.* Non docuit, quod *fides operetur*; sed quod *gratiam bene operandi fides mereatur.* Non docuit, quod *fidei effectus producat solà caritatis habitualis virtute*; sed è contrario, quod *caritate per*

peccatum amissà, non amittatur saepe etiam fides, neque ea, quae inde consequuntur. Hinc exclamabat: ⁶ *Incumbite ergo orationibus peccatores, (non persuadentes vobis novum hìc latere peccatum, aut vos orandi carere facultate) nolite desperare! & licet sitis peccatores, orate!* Explicuit saepe, sententiam S. Pauli saepenumero significare, non quod opera ex fide provenientia, provenire nequeant nisi fuerint cum caritate conjuncta; sed fidem, quae salvamur, non illam esse, quae quidem sat habent credere in Deum, quin eundem ament, aut vitam agant Christianam. Hinc scripsit cum D. Paulo: ⁷ *Non auferre peccata, nisi gratia fidei, quae per dilectionem operatur.* ⁸ *Multi enim dicunt: credo; sed fides sine operibus non salvat: opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo Apostolo: fides, quae per dilectionem operatur.* ⁹ *Hoc moneo, ut habeatis fidem cum dilectione, quia potestis habere fidem sine dilectione* Contra: *Non potestis habere caritatem sine fide; caritatem dico, Dei & proximi.* Praeclaram habemus animadversionem in celebratissimo ejus Commentario in psalmos. Antilogia videtur occurrere, in D. Paulo ¹⁰, cum in uno loco dicat: *justificari hominem sine operibus ex fide*; alio autem loco dicat: *fides quae per dilectionem operatur*? Verum in uno loco agit de operibus legis Mosaiscae, ac de iis, qui de operibus suis presumere videntur, & merito operum suorum se accepisse fidei gratiam existimant; in alio docet, non salvandum qui credit, sed fidem cum Christianis operibus non conjungit, neque cum illa dilectione, quae vacare non potest operibus. Totum Opus de fide, & operibus eò tendit, ut commonstret, id suis epistolis potissimum spectare Apostolos, ¹¹ ut vehementer adstruant, fidem sine operibus non prodesse. Atque in vanum ex subobscuris D. Pauli sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem, ut tanquam securi de salute, quae in fide est, bene vivere non curent. Vociferantur impraesentiarum docere Augustinum: ¹² *Illam fidem mundare cor, quae per dilectionem operatur.* De hoc autem quis dubitat? ajunt porro hoc eò ipsum facere, ut inde deducat, quod *omnis fidei operatio justificet, nec unquam operetur fides nisi per charitatem.* Quia datur fides, quae operatur per dilectionem, num ideo dicemus, eam semper operari per dilectionem? Quale est hoc genus ratiocinii? Et tamen homines plebeji, qui non nisi leviter literis imbuti sunt, frequenter admodum eo modo in errorem inducuntur,

(*) prop.
51. 52.

(1) n. 5. de doctr. Christ. l. 1. n. 21. (2) de Spir. & lit. n. 64. (3) de Trin. l. 11. c. 6. (4) Gal. II. 16. V. 6. (5) de Spir. & lit. n. 51. epist. 186. n. 7. (6) Sermon. 135. n. 7. (7) in Gal. n. 1. (8) in epist. Jo. Tr. 10. n. 1. (9) Sermon. 90. n. 8. (10) in Pl. XXI. 2. n. 6. (11) de fid. & oper. n. 21. (12) Sermon. in Matth. 53. c. 10.

generales sæpe propositiones ex unâ singulari deducunt. Omnis virtus, quæ per dilectionem operatur, conducit ad cor mundandum: at non ideo omnis actus virtutis sufficit ad justificationem. Explicat etiam eodem ipso in loco Author nos- ter, se non de quâcunque id fide intelli- gere; sed de illâ cuius comites sunt spes & charitas.¹

(*) pr. 59. V. Hæc porro propositio citra hor- rorem audiri non potest: (*) *Oratio impio- ram, est novum peccatum; & quod Deus il- lis concedit, est novum in eos iudicium.* In- ducit igitur Scriptura ad peccatum, quan- do tot locis nos exhortatur, extimulat; quando jubet peccatorem ad orationem recurrere, eamque ceu unicum remedium suggerit. Qui itaque in peccato est, rec- te faciet, si non oret amplius Deum, lon- gèque se disjungat à templis, nè novum incurrat peccatum. Sanationes itaque, & gratiæ tot peccatoribus concessæ à Ser- vatore ipsis damno fuerunt. Sanctus nos- ter, occasionem præbente Publicano, iteratò docet, Deum etiam ad audiendos peccatores se inclinare;² docetque: *Quod non utique desinere esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator.* Non igitur existi- mabat requiri ut ante orationem præce- dat justificatio, & in corde sit caritas sanc- tificans. Et tamen tantæ ipse impietatis propugnata reus agitur; ubi in verba illa: *Oratio ejus fiet peccatum*, quæ de Judâ in- telligit, ita commentatur:³ *Non est justa Oratio, nisi per Christum; quem vendidit im- manitate peccati.* Oratio autem, quæ non fit per Christum, non solum non potest deleve peccatum; sed etiam ipsa fit peccatum. Non est dubium, quin possit ipsa etiam Oratio fieri peccaminosa; ut si quis oraret Deum, ut juvaret suam lasciviam, aut vindictam; vel si dum ipsum orat, opiniones de eo foveret philosophicas, & non Catholicas. In loco ante dicto loquitur S. Doctor de Juda Servatoris proditore, qui dum sce- lus suum nonnisi ex causis humanis desle- bat; imò perversum animo fovere perge- bat consilium, quas quæso fundere ad Deum preces poterat, quæ validæ forent, nec delusoriæ & peccaminosæ. *At si per Christum orasset, si indulgentiam rogasset, spem habuisset; si spem habuisset, misericordiam sperasset*, uti ibidem vir sanctus subjun- git. Non fuisset igitur tum novum pec- catum ipsius oratio; sed novum meritum; poteratque, licet adeo impius esset, tamen à Deo sperare misericordiam. Dicitur etiam Prov. XXVIII. 9. *Qui declinat aures*

suas, nè audiat legem, oratio ejus erit exe- crabilis, ejus nimirum qui in malo persis- tere, non qui id statuit deserere. Connecti cum hæc plures possent propositiones dam- natae. Annon horrorem incutit omni ho- mini prudenti, cum audit: (*) *Hominem* (*) pr. 71. *ob sui conservationem posse sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus uti- litatem?* Posito hoc principio, non exis- tit amplius lex, quæ refrænet; non dee- runt rationes, quibus ostendatur, multa peccata ad nostri conservationem prodes- se, multas leges à Deo latas fuisse in nos- trum commodum. Neque prodesset quidquam, asserre casus, quos à lege in- ter ceteros non fuisse comprehensos, do- cuisset necessitas, & autoritas superio- rum decidisset. Docet hæc thesis posse unumquemque semet ipsam eximere, fa- cultatemque habere judicandi, quænam in nostram utilitatem latæ sint leges, & quænam transgressionem ad nostram con- ducant conservationem. Atque hi demum sunt homines illi, qui severiores se sem- per sententias docere jactitant! Summum etiam quandoque rigorem arrogantius profitebantur Pelagiani, asserentes,⁴ *Di- vitem manentem in divitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit*; nec prodesse ipsi, quod bene opibus utatur. Verùm cum his erroribus con- jungebantur etiam alii vitæ remissiori fa- ventes.

2. Ex eo, quod dixit Augustinus: *nil brevius audiri vel legi Symbolo, & Domini- cæ oratione;*⁵ atque in his duobus tres ineludi virtutes Theologicas: *Siquidem fides credit; spes & charitas orant;* ex eo inquam tueri, ac purgare se conatur, qui docet, (*) *Dei bonitatem abbreviâsse viam salutis, clau- dendò totum in fide, & precibus.* Sed qui amabo ex his Augustini verbis exculpi potest propositio, quæ bonorum operum ad æternam salutem excludat necessitatem? Augustini, inquam, qui semper prædi- cavit, amitti salutem ab iis, *qui ad eam obtinendam sufficere fidem putaverint; bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.* Noluisset sanè refraga- ri Scripturæ, docenti,⁷ *nil prodesse, si fi- dem quis dicat, se habere; opera autem non habeat.* Scriptum reliquit nobis, non, quod Quietistæ docent, inclusa esse omnia in Oratione; sed è contrario,⁸ *non esse pro eis efficacem orationem, quorum fides sine operibus mortua est; sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur.* Alas oratio- nis, quibus ad Deum volamus, esse jeju-

(1) ibid. (2) Serm. 135. n. 6. 136. n. 2. Con. epist. Parm. l. 2. c. 8. (3) in Pf. CVIII. n. 8. (4) S. Aug. epist. 157. n. 23. (5) Enchir. n. 2. (6) de fide & opp. n. 21. (7) Jac. II. 14. (8) de Civit. D. l. 19. c. 27. in Pf. XLII. n. 8. de Civ. D. l. 19. c. 23. n. 4.

nium, & eleemosynam; atque effici oportere, ut ipsa vita nostra sit oratio; ac possideamus iustitiam, charitatem, aliasque virtutes. Idem esto iudicium, de iis, qui ajunt docuisse Augustinum (*) fidem, usum, augmentum, & primum fidei, totum esse donum purae liberalitatis Dei; excludentes cooperationem, & meritum hominis; cum constet, Concilium Tridentinum ipsissimae Augustini doctrinae inhaerens anathemate percussisse illum, qui dixerit: *hominis justificari boni opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut qui dixerit, per bona opera facta ab ipso Divina opitulante gratia, & virtute meritorum JESU Christi, non vere ipsum mereri augmentum gratiae, & vitam eternam.* Quid dicemus de indigno eorum facinore, qui doctrinae Sancti nostri conformem asserunt paradoxam illam opinionem; (*) quod nunquam Deus in hac vita affligat innocentes? Annon affirmavit ipse, Jobum ² non propter peccata, sed propter suam demonstrandam iustitiam, illa omnia fuisse perpeffum? Annon docuit, nullam causam probabiliorum occurrere, cur iusti homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit? Quis posset amabo confingere errores ab ejus magis mente alienos?

3. FRAUDUM quae plebi obtruduntur exemplum esto haec propositio. (*) *In vanum Domine praecipis, si tu ipse non das, quod praecipis!* quae tanto cum strepitu persuaderetur rudioribus eadem esse cum illa Augustini: ³ *Da, quod jubes, & jube, quod vis.* Quid per hujusmodi dictum Sanctus noster intellexerit, explicuit in quodam paragrapho, prolixè docens: *to Da, quod jubes, significare, quod iustitiae praeceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo.* ⁴ Non solus Augustinus Deum orat, ut concedat nobis operari bene, & ejus exequi praecepta; fecit idem Ecclesia multis in precibus. Dicere autem, quod ipse in vanum jubeat, si non dat, quod jubet, significat, quod cum communi gratia observari non possint praecepta; ideoque aut non det gratiam sufficientem, aut haec sit prorsus inutilis; qui est unus ex praecipuis novorum errorum cardinibus, & consonat cum primis duabus propositionibus; (*) quod animae quae Dei gratiam amisit nihil remaneat, nisi generalis impotentia ad orationem, & omne opus bonum, & quod sine illa gratia, quae est principium efficax, hoc est actu operativum boni cujuscunque generis, non so-

lum nihil fiat, sed, nec fieri possit. Quod purus putus est Calvinismus. Pronunciavit idem Deus: *mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est; neque procul positum.* Praedicavitque Augustinus: *stultum esse, praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur, facere; & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere.* Hoc praevalente lumine acutum quodlibet ingenium agnosceret eandem sententiam in 22 thesibus, quae subsequuntur; tot ac tantis modis magis, aut minus occultis, artificiosisque transformatum; quos nè rudioribus porro imponeret, indigitare omnes, & condemnare oportuit. Sub bellâ specie extollendi Divinam gratiam, insinuat quasi percuticulos; aliam non dari gratiam; quam expugnatricem; unde, qui peccat, necessarium id faciat, nullâ gratiae ope suppetente; instillaturque, nunquam resisti interiori gratiae; nullam proinde habere eos, qui cadunt, esseque ideo supervacaneum, nos multum de salute esse sollicitos, eoque omni virium conatu contendere. Cedò Systema aliquod, quod magis sit Augustino contrarium! quippe quo nemo fortassis aut crebrius, aut majori vi ac suavitate ad omnes ad aeternam salutem convertendas cogitationes nos adhortatus fuit; quique docuit nolle nos salvari Deum, sine perceptibili admodum cooperatione nostra; vocari omnes à Deo; at multos resistere; repugnare communi sensui, quod dignus supplicio censeatur, *quid non faciat, quod facere non potest.* Attentum itaque semper quis habeat animum! Quandoque enim Quesnellus non inquit, quod Deus nolit omnes salvos fieri; sed dicit: (*) *Quando Deus vult salvare animam effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei;* quo innuitur, quando hic non sequitur, id ideo esse, quia non vult Deus. Unde etiam dicendum foret, nolle ipsum suis morem geri praeceptis, quia saepe mos non geritur; sique ipse vellet, indubitatè secuturum effectum. Ita nempe voluntatem Dei absolutam, & conditionatam inter se confundit; refragaturque D. Petro, ubi habet: *Deum nolle, aliquos perire;* & D. Paulo, ubi habet: *Deum omnes homines vellet salvos fieri;* & D. Augustino, ubi habet: *velle Deum omnes homines salvos fieri non sic tamen, ut eis adimat libertatem.* Eadem utens arte non dicit quandoque, homine verbo Divino non obediente, defectum à Deo provenire: Sed dicit, *semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper asserere fruc-*

(1) Sess. 6. can. 22. (2) de pecc. mer. l. 2. n. 17. de quaest. 83, qu. 82. n. 3. (3) Conf. l. 10. c. 29. (4) de pecc. mer. l. 2. n. 5. (5) Deut. XXX. 11. (6) de fid. con. Man. c. 9. (7) de duab. anim. c. 11. (8) 1. Pet. III. 9. 1. Tim. II. 4. de spir. & lit. n. 58.

rum suum. Quo innuit, quando hunc non affert, non id nostrâ culpâ aut repugnantia fieri; sed quia non fuimus per gratiam irrigati; quasi essemus instrumenta merè passiva. Scripsit D. Augustinus: *Deo volenti saluum facere, nullum hominis resistere arbitrium.* Sed intellexit id de voluntate simplici ad absolutâ; expressitque, non ita illud resistere, ut *Divinam impediat voluntatem, aut superet potestatem*; id quod extra dubium est. At quando Quesnellus idem repetit, adjungens, *tungi tum à Deo animam per interiorē gratiam*, manifestum est, id ipsum ita intelligere, uti in aliis propositionibus; & toto libri contextu, significatque, non posse gratiæ interiori resisti. Vidimus libro nono, quoties doceat, repetatque Augustinus, posse arbitrium nostrum gratiæ resistere; nullus igitur superest de ipsius mente dubitandi locus. Neque superest ullus ambigendi de mente Quesnelli, quia, sicut etiam astutus versutusque fuerit, ita perspicue quandoque animi sui sensa aperuit, ut omnem ea defendendi viam præcluserit. Specimenis loco esse possit, ubi

(*) pr. 23. affirmat: (*) *quod Deus ipse nobis ideam tradiderit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* Tantum itaque secundum ipsum gratiæ cooperatur homo, tantumque in salutis suæ negotio sibi vindicat, quantum creatura, quæ producitur è nihilo; & quantum mortuus, qui ad vitam revocatur. Nec Janfenius, nec Lutherus, nec Calvinus eò unquam assertionibus suis progressi sunt. Atque hic est Author ille, cujus doctrinam injuriâ damnatam fuisse, tot sunt, qui contendunt. In hujus doctrinæ confirmationem, dicit itidem: (*) *Deus animam sanat æquè ac corpus sola sua voluntate.* Ex his propositionibus ceterarum, quæ accipites, atque obvolutæ sunt, eruere sensum oportet.

4. I TA, ut ostendant sine gratia Christi nihil, nisi impuritatem esse; nihil nisi indig-
(*) pr. 42. nitatem; (*) nihil nisi flagitia mera, ac scelera, adferunt dictum illud epistolæ ad Hebr. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Sed aliud est, hominem Deo non esse acceptum; aliud ipsi omnes ejus actiones displicere. Nabuchodonosor gentilis certe ipsi acceptus non erat: nihilominus in iis, quæ rectè gessit, ipsi haud displicuit. Unde D. Hieron. *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.* Non

Possunt displicere Deo bona opera; bona autem opera secundum Augustinum, etiam faciunt impii; licet ad salutem æternam nihil prosint. Quid dicemus de iis, qui volunt, gratiâ baptismi à futuro peccato nos tutos præstari, propterea quod scripserit Augustinus, pœnitentiam, aliæque bonæ opera à baptismo reddita nobis fuisse utilia, ac salutaria, cum hujus ope fiat, ut non solum antea; verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur? quando eodem ipso in libro, totque aliis vicibus prædicat, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit; sed ut in peccatum non imputetur.* Occurrit modo animo animadversio quædam summum in modum necessaria, nè per sententias Augustini nobis quis obtrudat glaucoma. Nemo unquam fidem habeat factiosorum versionibus! Uno sæpe verbo mutato, unâ adjectâ particula, unâ transpositâ voculâ immutant sensum, ac doctrinam transformant. Atque id causæ est, cur velint negligi latinum: & ubi id proferunt, mutilatus non raro, ac variatus esse locus deprehenditur. Nec SS. quidem literis patitur: Dicit S. Paulus ad conversos Ephesios: *Eratis aliquando tenebræ: nunc lux estis in Domino.* Author nuperrimè damnatus vertit: (*) *Vos non eratis nisi tenebræ!* indeque hoc exculpit axioma: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ; nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?* Quo fit, ut ex propositione particulari deducat universalem suo more; eamque cum aliis thesibus connectens, statuatur, sine fide, & charitate neminem unquam posse operari, ac nè indifferenter quidem; sed solummodo peccare; perinde, ac si infusum nobis à Deo naturale lumen, atque illa honesti semita mentibus nostris impressa, non aliò nos conducant, præterquam ad flagitia.

5. SPARGUNT legi in Augustino propositionem sæpe damnatam; nimirum, bona Adami opera à libero provenisse arbitrio; non à gratiâ, ejusque gratiam fuisse naturale consecrarium suæ naturæ; dum nostra è contrario in Christo recipitur, atque est omnipotens. Verum contrâ planè declaravit Augustinus, non potuisse Adamum sine gratia ullum acquirere meritum; quia, etsi peccatum in solo arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ habendæ, vel retinendæ sufficiebat liberum arbitrium nisi participatione immutabilis boni Divini adjutorium præberetur. Ex mente Augustini igitur immutabilis boni participatio

(1) De corr. & gr. n. 43. (2) Hebr. XI. 6. (3) in Ezech. XIX. 28. (4) de sp. & lit. n. 48. (5) de nupt. & concup. l. 1. n. 38. (6) Eph. V. 8. (7) Enchir. c. 106.

non erat naturale existentiae confectarium; sed à Divino proveniebat adiutorio; eratque proinde ipse hoc in genere ejusdem nobiscum conditionis, veniebantque ipsius merita à gratia perinde, ac nostra, neque merè erant humana. Non pertinet huc dictum illud: ¹ *Humana merita conticescant, quae perierunt per Adam*; siquidem loquitur hic Sanctus de eo, quod donetur fides Christiana à Deo ex gratiâ, non ex meritis. Quare mox sequitur: *ut ex aqua, & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito.* Per merita Adami, quae perierunt, ipsius culpâ, intelligitur non fuisse ipsi luctandum contra concupiscentiam; ideoque etiam dicit indigere nos gratiâ potentiore, eamque non obtinere redemptionis virtute; cum discrimen inter Adami gratiam, & nostram in hoc positum sit, non autem in eo, quod illa solius Dei omnipotentis virtute victoriam reporteret. Deus enim uti modò, ita & tum temporis erat omnipotens; at non ideo voluit unquam, aut vult obtinere ab homine bonum per suae omnipotentiae vim; sed voluit, & vult, provenire illud ab electione nostrâ se opitulante, cum eum in finem nos libero dotârit arbitrio. Nihil frequentius docet, nihil majori cum energiâ Augustinus. ² *Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quae bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere, quae mala sunt, & esse arbor mala.* Neque unquam dixit Augustinus praesentem gratiam non in nobismet ipsis recipi: immò centies è contrario docuit, exposuitque, ³ *justificari in Christo, qui credunt in eum per occultam communicationem, & inspirationem gratiae Spiritualis.* Ipsius sententiae inhaerens Tridentina Synodus statuit: ⁴ *Spiritum Sanctum eam partiri singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem.* Qui ait, non recipere nos in nobismet ipsis gratiam, tantundem dicit, ac non concedi nobis in praesente statu ullam interiorem gratiam; ideoque ob gratiae defectum possibilem non esse observationem praecceptorum. Qui ait, gratiam quae nobis datur, in hoc discrepare à gratiâ Adami concessâ, quod nostra sit *omnipotens*, ac proinde semper operetur, tantundem dicit, ac non dari ullam iis gratiam, qui legem infringunt: quae opinio nemini magis adversatur, quam D. Augustino, qui centies ingeminavit, consentire, & dissentire in nostro esse arbitrio; & in cujusque conscientia loqui Deum.

Quid intelligatur

VI. S. hic Doctor saepissime docuit,

sub cœtu Ecclesiae omnes contineri fideles; hoc est, omnes illos, qui eadem Sacramenta participant, eandemque agnoscunt Ecclesiasticam auctoritatem. ⁵ *Tota Ecclesia ejus, quae ubique diffusa est, corpus ipsius est, cujus est ipse caput. Non solum autem fideles, qui modò sunt, sed & qui fuerunt ante nos, & qui post nos futuri sunt usque in finem saeculi, omnes ad corpus ejus pertinent.* Hinc est, quod in eo sint etiam peccatores; quia quando peccat homo, non ideo fidem negat, aut ab eâ excluditur. ⁶ *Nos fatemur, in Ecclesia & bonos, & malos esse; sed tanquam grana, & paleas, quae commiscuntur in eadem messe, & tanquam humores bonos, & noxios, qui sunt in humano corpore.* In tractatu de fide, & operibus in memoriam revocat Oraculum Divinorum certitudinem, quibus enunciat ⁷ *malos in Ecclesia permixtos bonis usque in finem saeculi futuros.* Scatent hujusmodi doctrinis libri contra Donatistas. Dicebant tum temporis Catholici ⁸ *Cecilianum Episcopum esse suum fratrem; bonum, si bonus esset; malum si malus esset; quia & malus propter sacramenta communia frater est.* Differre aiebant Ecclesiam quae in Caelis est, à militante, quae est in terrâ, *hanc Ecclesiam nunc habere malos mixtos illam non habituram.* Neque tamen ideo quidquam hujus puritatem credebat detrimenti capturam; unde eandem saepe ita induxit loquentem: *Malorum commixtio corporalis me nulla perturbat. Quid est, quod mihi calumniantur superbi, quasi me maculent aliena peccata?* Nunc autem persuadere quidam nobis cuperent, censuisse Augustinum non minùs, quam Calvinum, & Lutherum, quod finis Ecclesia non complectatur, nisi justos; atque illos solos esse membra hujus corporis, & Christum caput. (*) Excogitata fuit doctrina tam insolens, ut aliqua eludendis censuris, atque anathematis pateret via. Si enim, qui in peccato est, extra Ecclesiam est, consequens est eum carere juris dicundi potestate; cumque constare non possit, an qui falsa haereticâque condemnat dogmata, in gratiâ sit, vel non sit, sequeretur incertum pariter fore, an condemnatio habeat, vel non habeat robur. Receniores isti Poetas sapiunt. Nonne poësin sapit, comminisci ac fingere velle Ecclesiam (*) *esse unum solum hominem accum Christif-* (*) pr. 75.
to integro unum constituere conceptum univorum? sed tantum abest, ut existimaret Augustinus invalidum esse, quidquid faciunt suo in munere Episcopi, licet mo-

(1) De praed. SS. n. 11. (2) Act. con. Felic. l. 2. c. 4. (3) de pecc. mer. l. 1. n. 11. (4) Sess. 6. c. 7. (5) in PL LXII. n. 2. (6) in Joan. tr. 6, n. 12. (7) de fid. & oper. n. 7. (8) Brevic. Coll. n. 8. 20. Con. lit. Pet. l. 2. n. 102. in PL CXXXVIII. n. 27.

rum pessimorum forent; ut docuerit,¹ verba bona, quæ pro populo dicuntur, in precibus, etiam si à malis dicantur Episcopis, exaudiri tamen. Sic & docuit absolvendi auctoritatem non amitti à peccatore, ita, ut,² ad hanc congregationem etiam si per malum Clericum, sed tamen Catholicum ministrum, reprobum, & fictum aliquis accesserit corde non ficto, in ipso S. Spiritu remissionem accipiat peccatorum. Neque abutendum est illis locis, ubi Augustinus distinguit fideles bonos, & probos à totâ fidelium congregatione. Qui malè vivunt, certò non spectant ad illam Ecclesiam³ quam Christus mundavit lavacro aque in verbo, neque ad illorum coetum, qui efficiunt Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam: At non ideo sunt extra Ecclesiam universam, ac communem; quia iisdem in ædibus reperire est vasa ex auro, & argillâ, alia in nobiles, alia in viliores usus destinata; nec istos in eadem esse domo negare possumus. Ubi ait, perverfos homines in corpore Christi non esse, quod est Ecclesie; quoniam non potest Christus habere membra damnata, loquitur de Donatistis, qui tanquam hæretici segregati erant, atque à verâ Catholicâ exclusi Ecclesiâ. Mirum profectò est, eos qui hujusmodi spargunt deliria, non advertere, ad Pelagianos sese accedere. Pelagiani erant illi, qui profitebantur,⁴ vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum; & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici. In libro de Persev.⁵ Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem justum in hac vitâ nullum habere omnino peccatum, & in talibus hominibus esse in præsentî tempore Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.

Censuræ Ecclesiasticæ.

2. FUIT nostrâ ætate, qui Ecclesiasticâ jamtum ictus, aut proximè iciendum se videns censurâ, docere aggrediretur, censuras has, ut validæ essent, fieri debere universo Ecclesie corpore consentiente; hoc est, ipsis etiam Laicis adstipulantibus; neque æstimandas esse si sint injustæ; imò hoc casu resistendo, ac persistendo imitari homines D. Paulum; & mereri, ut sanentur denuò à JESU Christo. Omnia hæc tanquam Augustini doctrinam suo more venditant. At ipse docuit è contrario, condemnationem illam, quâ pœna in Ecclesia nulla major est, fieri ab Episcopali judicio;⁶ non consensu populari, & communi. Instituit nos, quem tenere modum oporteat, cum eo, qui è fidelium albo expungitur sive ab Episcopo, sive à Clero, vel à quocunque præposito, cui est hæc potestas.

Loquebatur de Subdiacono quodam à Presbytero suo ob mores malos privato communione cæterorum. Excommunicare, & degradare hominem veris documentis, ac testimoniis convictum pertinere ait ad judicem, & ad quemcunque, si judicandi potestatem accepit.⁷ In rebus majoris momenti, v. gr. quando Episcopus ob unius peccatum totam iniquè familiam proscripserat, in Concilio, ait⁸ se agere cupere; & si opus fuerit ad sedem Apostolicam scribere, ut in his causis, quid sequi debeamus, concordî omnium auctoritate constituantur. Quàm funestæ animorum evitæ fuissent perturbationes, si Augustiniana dogmata amplecterentur, atque exequerentur, qui tantis ex laudibus extollunt? Dixit quidem ipse eodem loco, quod injusto quis percussus fuerit anathemate, ei potius obstruendum sit, qui faciet, quàm qui patietur injuriam; atque ita profectò res se habet. At non ideo dixit, anathema injustum, modò sit validum, omni carere effectu, floccique esse æstimandum; neque dixit pertinere ad reum, aut sceleris socios justane sit, an injusta condemnatio suo definire judicio. Hoc enim pacto nulla unquam valida foret sententia; siquidem damnatus omnem damnationem iniquam pronunciabit; evaderetque hoc modo inutilis planè antiquus mos Ecclesie; cum res sit inaudita, debere quenquam esse judicem in propria causa. S. Pius V. damnavit opiniones Baji, comminatusque fuit anathema omnibus, qui iis aut subscriberent, aut patrocinium quaerent. Perfecerunt, iteraruntque hæc anathemata Gregorius XIII, Urbanus VIII, atque ita ceteri deinceps Pontifices in Jansenii, ejusque assessorum damnationibus. Erigit jam caput Quesnellus, defendit, ac palam hæc opiniones vendit, docens præterea (*) excommunicationem exerceri de consensu saltem præsumpto totius corporis; excommunicationis injustæ metum nunquam debere nos impedire ab implendo debito nostro; nunquam exire nos ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab eâ expulsi, quando Jesu Christo per charitatem sumus affixi. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem esse imitari Sanctum Paulum.

(*) pr. 50. sec.

At quid opus est advocare huc quæstiones, quæ planè sunt ab instituto alienæ? Quis non intelligit, spectare hæc omnia ad hæresin, tot fulminibus insuper habitis tuendam, ad enervanda Canonica, & solennia tories à sede Pontificia emissâ decreta; idque periinde, ac si decusum foret,

(1) Con. epist. Parm. l. 2. n. 17. (2) Serm. 71. n. 37. (3) de bapt. con. Donat. l. 4. n. 4. l. 7. n. 99. con. Cresc. Don. l. 2. n. 26. (4) de hæres. n. 88. (5) de don. persev. (6) de corr. & gr. n. 46. (7) Serm. 164. n. 11. & epist. 109. n. 19. (8) epist. 250. in fragm. addito.

Janſenianos habere cauſam juſtam, & Chriſto eſſe affixos; conſtarétque proſcriptiones has palam eſſe iniquas, & communi hominum judicio malignas, ac nimium prope-
ratas.

3. In ſubſidium pro more vocant Au-
guſtinum, at ſolito etiam candore, ac fide.
Scripſit ipſe: ¹ *Spirituales . . . cum aliquod
vel perverſitate, vel neceſſitate hominum vi-
dentur expelli ibi (hoc eſt foris,) magis proban-
tur, quàm ſi intus permaneant: cum adver-
ſus Eccleſiam nullatenus eriguntur; ſed in ſo-
lida unitatis petra fortiſſimo charitatis robore
radicantur.* Hæc inniuntur auctoritate. At
elucet ex illâ, quod, licet injuſtè fuerint
expulſi, maneat tamen extra ovile, ne-
que amplius in eo permaneant. Quan-
quam, ſi modeſtè ſeſe continent, omnia
hæc ad ipſorum perfectionem conducant.
Evincitur id etiam ex ipſo contextu; ſi-
quidem ſequitur: *non eſſe ampliùs intus.* At
dicet fortalle quiſpiam, quis ſectarios in-
ceſſit furor, ut locum adferant, quo ipſi
jugulentur? Jugulantur quidem textu la-
tino: at in ipſorum verſionibus, ait Au-
guſtinus, hujusmodi tentamine ipſos reddi
puriores, quàm ſi ibidem manſiſſent tranquilli;
pro loquendi modo expungitur tò eſſe foris
quod ſignificabatur per tò ibi, particulam
quippe oppoſitam particulæ intus. Hic
nimirum conſuetus illorum ſtylus eſt. Vi-
dimus paulò ante docentem Auguſtinum:
*Si in Eccleſiâ boni ſumus, frumentum ſumus;
ſi mali, palea ſumus: tamen ideo ab area
non recedimus.* ² Ut autem contrarium
evincant, ex ſolis nempe juſtis, & prædeſ-
tinatis componi Eccleſiam, adducunt qua-
tuor prima verba ex quodam dicto Iſaiæ:
³ *Populus tuus omnes juſti.* Sed truncatus
hic locus eſt; dixit Propheta: *Populus
autem tuus omnes juſti, hæreditabunt terram;*
quod ſenſum planè facit diverſum.

4. Qui malèſeriatorem iſtorum Theo-
logorum fallaces agendi modos ex alio
rurſus ſpecimine cupit cognoſcere, ob-
ſervet, ubi ſtatuat Author proſcriptus,
quòd Chriſtus ſubierit mortem ad liberan-
dos per ſanguinem ſuum *primogenitos, hoc
eſt electos.* Docuerat jamtum Janſenius Se-
mipelagianum eſſe credere, quòd Chriſtus
mortuus ſit pro omnibus; docueratque ⁴
*prædeſtinare Deum quibusdam hominibus da-
re fidem, charitatem, perfeverantiam; pro
iſtis in æternum vivificandis mortuum eſſe,
pro iſtis rogaviſſe patrem ſuum, non pro ce-
teris.* Idem jam dixerat Calvinus, ejusque
ſequaces. At quibus falſitatem hanc mo-
mentiſus comprobant? aſſerendo nimirum,
ita evidenter docuiſſe Auguſtinum, cum

ſcripſerit, *non magis Chriſtum pro æternâ
liberatione ipſorum, quàm pro diaboli depre-
catione fuiſſe Patrem.* At quo pacto id aſſe-
rere poterat Author noſter, poſteaquam in
loca illâ: *dedit ſemetipſum pro omnibus; ora-
vit etiam pro perſecutoribus;* & alia iſtius-
modi adeò perſpicuè declaraverat, ⁵ *nemi-
nem ſingulorum præſerviri ab eo qui orat pro
universis;* & pro omnibus mortuis vitam
mortuum eſſe unum; hoc eſt pro omnibus
qui infecti ſunt culpâ originis; & ſi Salva-
tor eſt omnium hominum, eſſe etiam Joannis;
id eſt ſingulorum hominum, nemine ex-
cepto. Sed ſi adis locum adeò jactitatum,
reperis ſermonem habere virum ſanctum
de orationibus fidelium, non de precibus
Salvatoris; atque contra illos ibi hæreti-
cos diſputare, qui volebant in die judicii
damnatos probrum orationibus exinfer-
no liberandos; atque oſtendere, Eccle-
ſiam ſi pro damnatis fundere valeret pre-
ces, id etiam valere pro dæmonibus; ve-
rùm nec unis, nec aliis ſpem ullam relin-
qui; atque ideo ſi de aliquibus ita Eccleſia
citra eſſet, ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui
licet in hac vitâ ſint conſtituti; tamen præ-
deſtinati ſunt in æternum ignem ire cum dia-
bolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro
ipſo. Jam autem non aptè inter ſe conferri
poſſunt preces Servatoris, & Eccleſiæ;
Chriſtus enim oravit pro reprobis eo mo-
do, quo eorum etiam ſalutem vult Deus;
hoc eſt, quantum de ſe eſt, non abſolutè,
ſed conditionatè; ſi nempe & ipſi volent,
operamque adhibebunt. Orationes autem
Eccleſiæ ſemper ſunt abſolutæ; & cum
impetrandi fiducia conjunctæ: unde non
eas funderet pro caſu quem agnoſcit im-
poſſibilem, & contra expreſſam Dei vo-
luntatem. Nec repugnat ſcientia, quanti
habebat Chriſtus de ſecuturo impiorum
interitu, ſignificavit enim hæc non obſtan-
te antè, & generale deſiderium ſuum,
ſalvâ ſemper juſtitiâ, & Patris voluntate;
quemadmodum oravit in horto, ut tranſi-
ret à ſe calix paſſionis, licet ſciſet eum non
eſſe tranſiturum. Vide ſis itaque, quâ ve-
ritate, quâque ſinceritate adeò liberè, &
audacter repetatur, perſuadeaturque ho-
minibus latè neſcientibus, aſſirmaſſe Au-
guſtinum, Chriſtum preces ante Patrem
nihilò plus pro damnandis fudiſſe, quàm
pro malis geniis. Sic quando legitur in Au-
guſtino: ⁶ *Non perire unum ex illis pro qui-
bus Chriſtus mortuus eſt,* ſignificatio ex con-
textu eruitur; cum dicatur ibi, non ob-
ſtare ſaluti ignorantiam, cum & mortuus
ſit pro rudibus; unde non refragatur his
verbis huic ſuæ doctrinæ: ⁷ *Totum judi-*

(1) Con. Donat. l. 1. c. 17. (2) Sermon. 36. P. 3. (3) Iſa. LX. 21. (4) Janſ. de gr. Chr. l. 3. c. 21.
(5) Sermon. 273. n. 2. de Civ. D. l. 2. c. 6. Sermon. 292. n. 4. (6) de Civ. D. l. 21. c. 24. (7) epiſt. 169. n. 4.
(8) in Pl. XCV. de Symb. l. 2. c. 8.

cave habet, quia pro toto pretium dedit; non pro unâ solum parte. Inimicis suis vulnera sua demonstraturus est, dicetque illis: *Agnosceitis latus, quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est; nec tamen intrare voluistis.* Quorsum jam dicitur propositionem hanc Christus mortuus est pro primogenitis, & electis esse nihilominus veram, ideoque non fuisse perstringendam? Quod si quis, ubi de verbi Divinitate quæstio haberetur, diceret, uni personæ de Trinitate Divinitatem competere, an propositionem hanc, ut veram admittiteremus? Quis non videt per hanc duarum aliarum Divinitatem excludi? Eiusdem quoque indolis sunt non paucae aliæ ex Quesnellianis. Velle autem eas defendere idem fere est, ac ceteros præ se homines, ceu fungos despicere. Inveniantur etiam modum dicendi, quod mortuus sit Christus quoque pro reprobis. Quis, cum hæc audit, non existimaret, accessisse illos tandem, uti de Pelagianis dicebat Augustinus, ad veritatem Catholicam? At nihil minus! Suis enim postea clientibus explicant, intelligi per hæc verba, mortuum esse pro naturâ, etiam reprobis communi; non autem pro ipsorum personis singularibus. Qui amabo fieri potest, ut homo ingenuus illi se sectæ addicat, quæ præter fallacias, & dolos meditatur nihil?

5. Si illos audimus homines, quorum opiniones ritu adeo solemnibus ab Ecclesiâ, ejusque capite sæpius proscripæ fuere, id propterea accidit, quod Ecclesiâ, aut non amplius existat, aut senio confecta sit, adeoque in eo posita, ut propetiem expiret: aut quod ita sit corrupta, ut non prædicet amplius nisi modo inepto, ac incongruo; credit materiam fidei esse, quod talis non est, non vult discutere, nec agnoscere suos errores; fovet dissensiones inter fideles; male habet meliores, majorique honore dignos; ferro & flamma Sanctos persequitur, permittente Deo, ut potestates omnes sæculares, & Ecclesiasticæ adversentur veritatem prædicantibus. Hujusmodi dicteria Magistratus non minus, & regiam, quam Ecclesiasticam potestatem vellicantia nova esse perperam existimantur à nonnullis. Jactitârunt jamtum Lutherus & Calvinus, se senectuti, assertæque corruptioni Ecclesiæ omnes suas novitates inædificare. Duobus nimirum istis Sanctis, integerrimisque viris servata fuit novæ instauratio Ecclesiæ: siquidem antiqua secundum ipsos jacebat, jacueratque sexcentis facillè annis crasso immersa errori. Res maxime stupenda est, tam illos quam hos ipsorum ne-

potes profiteri, se in Augustini planè verba jurare. Fierine potuit, ut non viderint tot loca, quibus hæc ipsa de re validè impugnat, ac debellat Hæreticos Donati discipulos? Dicebant & illi: *1. Ecclesiâ, quæ fuit omnium gentium, jam non est, perivit.* At Sanctus respondebat: *Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! illa non est, quia tu in illa non es. . . Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis, & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam!* En quibus laudibus aspergat Augustinus Encomiastas suos, & discipulos personatos? *2. Sed fortè ista Civitas aliquando evertetur?* Absit: *Deus fundavit eam in æternum.* Nonne dixit Christus: *3. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* *4. Non vincetur Ecclesiâ, non eradicabitur, nec cedit quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.* Omnia hæc deprompta sunt ex commentario in Psalmos, in quo post expositum etiam de Ecclesiâ centesimi tertii versum sextum ait: *5. fundamentum nemo potest ponere, præterquam, quod positum est, quod est Jesus Christus: hinc meruit audire: Non inclinabitur in sæculum sæculi. Ubi sunt jam, qui dicunt perivisse de mundo Ecclesiâ, quando nec inclinari potest?*

6. INTER assertiones nuperrimè prospectas, sunt illæ, quibus reprobat hodierna Ecclesiæ consuetudo in administrandis Sacramentis. Sunt illæ continuatio damnatarum per Alexandrum VIII. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit. . . ipsa Christi lex, & præscriptio. Per illam praxin mox absolvendi ordo penitentiae est inversus. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti penitentiae, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed abusu. Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad communionem percipiendam prætentunt, antequam condignam de delictis suis penitentiam egerint. Ac demum: similiter arceudi sunt à S. Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

Quæ sola sanè sufficiunt, ad prohibendum, relegandumque hoc S. mysterium. Eadem premit Quesnellus vestigia, quando prædicat, (*) non dari veniam peccatorum, priusquam quis injunctam sibi pœnam vel totam exsolverit, vel exsolvere cœperit; spatiumque concedi gustandi statum peccati, eumque demisso animo ferendi, cum conciliatio properari non debeat à peccatore.

(*) pr. 87. 88.

(1) in Pl. CI. Serm. 2. n. 8. (2) in Pl. XLVII. n. 7. (3) Matth. XVI. 18. (4) in Pl. LX. n. 6. (5) in Pl. CIII. n. 6.

Notus abunde est funestus ille effectus, quem hujus generis dictamina produxere; ortus item inde confessionis horror, & longa à mensa Eucharistica recessio. At quomodo cohæret in hoc authore doctrina, quod semper differenda sit peccatorum remissio, cum illa, quod remissio peccatorum sit prima gratia, quam Deus peccatori concedat? Quomodo cohæret, dandum esse spatium petendi à Deo majorem spiritum poenitentiae, cum eo, quod doceat, dum quis in peccato est, esse *generalem* (*) in homine *impotentiam ad omne opus bonum*? Docet, sine gratia efficace fieri nihil posse; docet sine caritate perfectam non esse nisi merum defectum, nisi merum peccatum: docet, sine hac nihil animam habere luminis, nisi ad aberrandum; nihil virium nisi ad se vulnerandum, nihil cogitationis, nisi in suum damnum; jam verò vel habet gratiam hanc, & charitatem poenitens, vel non habet? Si habet, nihil plus sperare potest; cur igitur absolutione priveretur, cur Eucharistia? Si non habet; non potest secundum ipsum, nisi peccare, & semper in pejus ruere; quid igitur utilitatis afferet procrastinatio? Mirum est, quomodo semper sese imperant errores ipsi, ac mutuis vulneribus confodiant! Etiam in illa ex damnatis: (*) *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in file & precibus*; (sententia Lutheri & Calvinii;) necessitatem Sacramentorum facit evanescere.

7. QUAM non fuit semper alienus ab id genus principiis Augustinus, quamvis ex factiosis quidam audacter asserat: *S. Augustinum nunquam esse confessum*! *Homo autem cum confitetur, procedit de tenebris ad lucem*, (non procederet autem sine absolutione,) & cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? quod dictum est ad funus Lazari: *solvite illum, & finite abire*. Non dictum est, relinquit eum ligatum, uti est, per aliquos adhuc menses. Quid autem sibi vult imperium illud solvendi? idem quod dictum est ministris Apostolis; quæ solveritis in terrâ, soluta erunt & in Cælis. Si *hodie tibi suboritur scrupulus? hodie sit confessio, hodie renuntietur scrupulo, hodie dimittatur, hodie laxetur*. (*) Non tamen idcirco, si viveret, damnaret unquam dilationem, quæ sit prudenter & gravibus de causis, uti etiam fert usus; additâ tamen simul hortatione ad excitandos in se actus vehementer contritionis. Sed damnavit id, quod facit malus genius, & modò recens hæc secta, quæ bis versutis seducit

animas, & à medicinâ confessionis avertit. *Significavit Dominus universam remissionem peccatorum dicens: non solum septies, sed septuagies septies. Per eandem gratiam peccantibus remittuntur non semel, nec septies, sed septuagies septies. Pertinet ad disciplinam Christianam, ut neque de cuiusquam correctione desperetur; neque cuiquam poenitendi aditus intercludatur. Ita nec probasset Augustinus frequentem nimis accessum ad mensam Eucharisticam in illis, qui non satis ad hoc mysterium sunt dispositi: at non ideo docuisset, semper eandem abstinendum esse, quia perfecti non sumus. Monuit enim è contrario, ut innocentiam ad altare appor-temus, quando panem hunc Celestem manducaturi accedimus; intelligebat tamen innocentiam humano nostro statui non impossibilem: unde adjunxit: *peccata etsi sunt quotidiana, non sunt mortifera*. Tantumque abest, ut reprobaret frequentem Communionem, ut quotidianam etiam laudaret, in quibusea partibus usu esset ac consuetudine recepta. *Alia verò sunt, quæ per loca terrarum, regionesque variantur; sicut est, quod alii jejunt sabbato, alii non; alii quotidie communicant corpori, & sanguini Domini; alii certis diebus accipiunt, ... Nec disciplina ulla est in his melior, gravi, prudentique Christiano, quam ut eomodo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenit. Idem dicit aliis locis. In Africa quotidie sacro epulo accumbebant Christiani. Apparet id ex loco Cypriani bis ab Augustino relato. *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus*; apparet iidem ex pluribus ipsiusmet Augustini, quibus affirmat: *Eucharistia panis noster quotidianus est*. Ad pueros recens baptizatos hunc habuit sermonem: *Debetis scire, quid accepistis, quid accepturi estis, quid QUOTIDIE accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei corpus est Christi. Calix ille, immo, quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi*.**

VII. MIRUM quantum tumultuantur ob proscriptionem falsorum, ac perniciosorum dogmatum circa lectionem S. Scripturæ. Docet exemplo Lutheri, & Calvinii hic pseudopropheta utile esse, imo necessarium, ut ab omnibus legatur S. Scriptura; ac proinde ab omnis sexus, & ætatis hominibus, à rudibus, à Sophistis, ab arrogantibus. Præcipuè autem vult eam legi à mulierculis. Si ipsius stare oporteret iudicio, omnes aut legere, aut S. sibi biblia comparare non possunt, salute aeternâ excide-

(1) Ægid. Candidus in *Aureâ Fodinâ*. (2) S. Aug. in Jo. Tr. 22. n. 7. (3) Serm. 47. n. 8. (4) quæst. in Exod. qu. 108. Op. imp. l. 2. de mendac. n. 22. in Jo. Tr. 26. n. 11. (5) epist. 54. n. 2. (6) de don. perf. n. 7. & ad Bonif. l. 4. n. 25. (7) Serm. 57. n. 7. Serm. 58. n. 5. &c. (8) Serm. 227. n. 1.

rent. Præcipua occupatio diebus Domini-
cis secundum ipsum, non debet esse fre-
quentatio SS. mysteriorum, non sacrum,
non vespere, non preces, conciones,
doctrina Christiana & similia, sed lectio
Scripturæ. Audire est sæpe ipsius devotos
patheticè & graviter invehi in hanc con-
demnationem; planè quasi per ipsum exu-
lare iustum sit studium SS. literarum; fi-
delibusque crudeliter ereptus sit cibus,
quo maximè deberent nutriri. At quis
unquam audivit fraudes & technas appo-
sitas magis ad perturbandum rudioribus
cerebrum? Ecclesia Romana, & Catholica
ad lectionem, studiumque SS. voluminum
animat, exstimulat, exhortatur omnes, qui
quidem sunt huius rei capaces. Illis autem,
qui minùs ad hoc idonei sunt, prospicit
jubendo, ut Episcopi, Parochi, Sacerdo-
tes, Religiosi eos instruant, pascant, con-
cionibus adhortentur. Omnia autem hæc
in quo alio demum consistunt, quàm in
expositione, explicationeque eorum,
quæ in SS. paginis docentur, imperantur-
que? En igitur non tolli hunc cibum de-
bilibus, sed frangi, ac comminui, ut
gustare eum possint, eoque nutriri. Lec-
tionem autem SS. librorum non conveni-
re nec prodesse posse omnibus, ex ipsis
discere licet hebræis, apud quos, ¹ nisi
quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerii,
id est tricesimum annum implevisset, nec prin-
cipia Genesios, nec Canticum Canticorum, nec
hujus voluminis exordium, & finem legere
permitteretur. Docuit de S. Scripturâ Au-
gustinus noster, omnes, qui temerè eam le-
gunt, ² multis, & multiplicibus obscuritati-
bus, & ambiguitatibus decipi, aliud pro alio
sentientes: quibusdam autem locis, quid vel
falso suspicentur, non invenire; ita nimirum
obscurè quædam dicta densissimam caliginem
obducere. Videamus quàm aptè consonet
Pater iste cum præcipuo Novatorum
principio, expresso per Lutherum, ubi
affirmat: ³ Scripturam esse facilitam, aper-
tissimam, sui ipsius interpretem. Verùm sup-
positâ veritate, quæ de se patet, & à Ma-
gistro nostro tradita fuit, quis probare
queat legi illam in idiomate vernaculo ab
hominibus nullâ literarum cognitione tinc-
tis, nec alterius linguæ, quàm popularis,
ac suæ gnaris? quis non dicet huiusmodi
homines, cujuscunque demum sexûs sint,
eam non temerè legere, si sine debitâ per-
missione, & sine consilio sui conscientia ar-
bitri id faciunt? Omnes hæretici jactita-
runt, doctrinas se suas Sacræ inædificare
Scripturæ. Jam inde ab Apostolorum æta-
te, ⁴ instabiles, & indocti depravant suo dam-

no sensum Scripturæ; maximè autem loca
intellectu difficilia sancti Pauli. Quor non
sunt loca Scripturæ, ex quibus, si solis
quis verbis inhæreat, nec plura nôrit,
commentarios Patrum non consulat, ve-
ram pietatem ac demissionem animo non
foveat; gravem offendiculi, atque erroris
ansam capiet. Audire hodie dum non pau-
cos v. gr. est, qui ut de comestione carnis,
quàm diebus Veneris, & Sabbati faciunt,
se purgent, adducant dictum illud Mat-
thæi: XV. 11. *Quod per os intrat, non inquinat animam.* Non adducerent id hanc in-
rem, si legissent sanctum illum Patrem;
quem unicè celebrant laudibus, quin cog-
nôrint. Declaravit ille sæpius, abrogasse
hoc dicto Servatorem institutum Judai-
cum, quo cibi quidam habebantur im-
mundi; quia omnia munda mundis, & omnis
creatura Dei bona est; habuerunt quippe
hujusmodi effata vim figuræ, & umbræ;
æstimanda autem non sunt amplius postea
quam lux ipsa venit. ⁵ Eodem modo his
verbis suo jamtum ævo homines abute-
bantur. ⁶ Dicit Dominus: non quod intrat
in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit.
Audit hoc peccator, & gulam parat voraci-
tati: audit hoc justus, & à ciborum discernen-
dorum superstitione munitur. Videamus igitur,
num in tanto perperam intelligendi
periculo, injuriâ Pelagium riserit Hiero-
nymus, quod scripsisset: ⁷ Scientiam legis
etiam mulieres habere debere. Non sufficit
ad eam intelligendam habere versionem
ipsius in linguâ vernaculâ: siquidem diffi-
cultas ex idiomate nasci solita sæpe est inter
ceteras minima.

2. ECCLESIA Romana non modò nun-
quam vetuit cuicunque etiam homini
Scripturæ autographum; imò nec anti-
quam, & Canonicam versionem latinam;
Quid? quòd omnium eam manibus infe-
rit, cuperetque perperum in ejus lectione
poni studium. Latinitas adeò simplex est,
ut si linguam spectes, non sit liber facilior
intellectu, ideoque soli ab ejus lectione im-
pediuntur idiotæ. Neque disertè, ac om-
nino prohibitum est legere S. Scripturam
in linguis hodiernis, & vulgaribus; at
rectè simul constitutum, ne id fiat sine fa-
cultate illorum ad quos pertinet, & sine
consilio Confessarii, qui vident, cui, &
quorum librorum lectio possit esse inuti-
lis, immo & ipsorum vitio noxia; pos-
suntque simul adstringere ad legendas sa-
nas ipsius interpretationes, & commenta-
ria. Verùm nova in præsentî causa est,
eaque gravissima prohibendi severius,
quàm unquam alias versiones SS. Scriptu-

(1) S. Hier. Prot. in Ezech. (2) de doctr. Chr. l. 2. n. 7. (3) in Præf. aHert. artic. (4) 2. Pet. III. 16. (5) in Pl. CXXV. n. 6. (6) in Pl. X. n. 10. (7) Con. Pel. Dial. 1.

ræ in linguas vernaculas. Quia nè una quidem extat, quæ sit authentica, fueritque ab Ecclesia & examinata, & comprobata; nonnullis interea circumvolitantibus, quæ infideles, malitiosæ, ac perverse sunt. Hoc quippe artificio rem suam agere cuperent sectarum coryphæi, fucum facientes imperitis, atque ex ipso veritatis fonte propinantes errorem. Hinc est, quod ab eò debacchentur contra proscriptionem cujusdam, qui eo consilio novi instrumenti versionem nuper admodum molitus fuerat, exornans eam animadversionibus non ethicis, sed hæreticis; docensque sine hujusmodi lectione nemini ad Cælum referari aditum. Nihil ita pronum, ac proclive est, quàm demptis, adjectis, vel transformatis quibusdam syllabis locum aliquem vertendo depravare. S. Paulus ait: *non ego, sed gratia Dei mecum*. At illi sic ipsum inducunt loquentem; *non ego, sed gratia Dei, quæ est in me*; deducen- res postmodum ex eo, quod homo non habeat partem ex bono; sed quod gratia se sola operetur. Omnes sectæ verterunt SS. biblia, exigentes illa ad præjudicatas opiniones suas, suosque eisdem inferen- tes errores. Insigne versionum vernacula- rum exemplum dedit Lutherus versione suâ ex omni parte mendosâ; quæ non- nunquam paraphrasi & commentario simi- lior est, quàm versioni. Ex recentioribus exempli instar esse poterit illa quam Por- roregalis excudit Montibus, fuitque adeò celebris, tantòque sub initium plausu ex- cepta. Observemus solummodo ex ea, quæ in doctâ hac Civitate scripserit litera- tus ille, qui serio, atque admirabili Scrip- turæ, & rerum eodem pertinentium stu- dio vitam totam quantam consecravit. *In eo simplicis versionis eorum, quæ Apostoli, & Evangeligraphi literis prodidère, confece- runt commentarium; audèntque novi Testa- menti nomen suis inponere ideis, non timen- tes plagas intentatas in Apocalypsi illis, qui addunt ad verbum Dei, aut de eodem quid demunt*. Videatur totum illud caput. Er- roribus, & malitiæ illius versionis non pa- rum in suâ addidit Quesnellus, novas in- vehendo locorum alterationes plebi com- muni imperceptibiles, trahens, contor- quensque sæpe sensum ad stabiliendam pec- cati, damnationisque necessitatem. Verna- culæ hujusmodi interpretationes fuerunt semper inter præcipuas hæresum scaturi- gines. Quapropter non Roma tantum, sed & Universitas Parisina sæpe eas repro-

bavit, ac interdixit. Audiamus insuper sa- pientissimum Clerum Gallicanum congre- gatum in Comitibus generalibus ad annum 1661, quomodo loquatur in epistola ad Alexandrum VII. Pont. M. directâ: *2. Lu- therus, ait ille, Calvinus, Beza, eorumque sequaces, qui virus suum ex adulterata præ- fertim Sacræ Scripturæ, ac Divinorum Offi- ciorum in familiarem linguam versione per infimæ sortis homines, & imperitam plebem diffeminârunt*. Non desunt, qui desiderent Canonicam, atque approbatam versionem vernaculam; verum illi non cogitant, ver- sionem hanc, si exacta fuerit, in hærens verbis, atque omni ex parte fidelis, offen- suram magis fore plebem, propterea quod ejus sensus plurimis in locis non adeò facilè intelligendus sit, non cogitant de factis illis historicis, illisque loquendi for- mulis, quæ magnas in populo turbas cie- rent; non cogitant, nunquam fas fore tra- duci sacrum textum, aut Dei verbum ad- jiciendo, demendo, aut mutando quid, ad ejus scopum magis explicandum. Po- sito autem, quod Scriptura debeat legi; atque intelligi posse ab omnibus, non suf- ficeret eam traduci in paucas quasdam lin- guas patrias; oporteret insuper eam con- verti in suam cujusque dialectum; qua- rum plurimas unaquæque habet natio, easque adeò à lingua meliori, atque emen- datiore diversas, ut alia propè lingua videri possint. Quàm absurda autem atque inde- cens hæc res foret? Quantum offendicu- lum?

3. LICEAT nobis hic indigitare, quis hæc in re sit sensus constans ac perpetuus græcorum Schismaticorum. Hi non ob- stante Spiritu scissionis, atque abalienatio- nis à latinis, quo tam validè agitantur, nobiscum tamen conspirant, firmiterque tenent ea quæ spectant authoritatem Ec- clesiæ, necessitatem Hierarchiæ, venera- tionem traditionis, & sensus Patrum, cha- racterem Sacerdotii, libros Canonicos, missæ Sacrificium, SS. Eucharistiam, li- bertatem arbitrii, valorem meritum, necessitatem operum præter fidem, salu- tem, quæ non Christi solum, sed & nos- trum opus est, septem Sacramenta, suf- fragia pro defunctis, Sanctorum interces- sionem, usum & cultum imaginum, S. Lipana, signum sanctæ crucis & indulgen- tias. Unde certissimè jactitare non possunt protestantes, facere secum græcam Ec- clesiam schismaticam. Referamus eundem in censum, quod nolint versiones Scriptu-

Sensus Ec-
clesiæ Græ-
cæ de lectio-
ne Scriptu-
ræ.

(1) *Hist. Crit. du N. T. c. 60.* Au lieu d'une version simple des Ecrits des Evangelistes, & des Apô- tres, ils ont fait un commentaire, & ils osent donner le nom de Nouveau Testament à leurs propres idées, sans craindre les playes, dont sont menacé &c. (2) *Epist. Cle. Gall.*

ta in Græco vulgari. Jam inde à Photii ætate, cum introductum fuit schisma, usque ad sæculum XVII, aliam non habuere Scripturam, omnesque Græci noluerunt in aliâ eam linguâ, quam communi. Cyrillus Lucarius Patriarcha, ut ipsi vocant, Constantinopolitanus, emptus à quibusdam Hollandis prædicitiis, partes Calvinianorum amplexus fuit, cœpitque conscribere everfionem Testamenti novi in linguâ vulgari. Socium laboris habuit Maximum, qui tamen non idem est cum Margunio, ut vulgo creditur; quâ de re adi epistolam in fragmenta græca D. Irenæi à Pfaffio præsentia. Versio hæc excusa fuit Genevæ ad annum 1638, sumptibus quorundam Hollandorum, & recusa Londini anno 1703. Verum utut diligentissima fuerit, mansit tamen semper obscuri nominis inter græcos, & deserta. In epistolâ cujusdam Jeremiæ Sacerdotis, quæ extat ad calcem Chronicorum Philippi Cypriotti, recusorum à Patre Bandurio in suo *Orientali Imperio* responderetur in hunc modum: *Legitur inter nos Testamentum novum eâ linguâ, quâ scriptum fuit: Barbarâ autem illa, inutilisque versio cœmpta fuit à nemine. Quid? quod fuit postmodum hæc versio ab ipsorum Patriarchis eâ solùm de causâ prohibita, quod conscripra esset dialecto vulgari, unî author mihi fuit (testimonio quod ad manum est) optimus, ac doctissimus Sacerdos Panagisti σινωπεύς.*

4. LUCARIUS ut cumulum adjiceret firmatæ jamtum pactioni Calvinismum inter suos disseminandi edidit falsam fidei professionem; quasi hujusmodi aut amplecterentur Græci, aut amplecti deberent fidem, consistentem in capitibus 18, quæsitis quatuor. Occinuit classicum universa Græcia, duasque coëgit Synodos: alteram Constantinopoli anno 1638; intervenientibus ipsorum Episcopis, virisque Ecclesiasticis in quâdam dignitate constitutis, omnibus undequaque ad quatuor & quadraginta capita collectis: alteram Jassi in Hungariâ superiore anno 1642. ritu pariter solemnî celebratam; ad quam legatos suos misit suam synodicamque direxit Parthenius, se ipsorum more, *Novæ Romæ Archiepiscopus, & Patriarcham Oecumenicum* scribens. Ab hisce Synodis tota anathematum plaustra conjecta fuere in Calvinianorum dogmata, omnesque iisdem adhærentes. Præterea viri duo doctrinâ celeberrimi Miletius, & Dositheus

Patriarcha Jerosolymitanus scripto prolixo rem eandem pertractarunt. Ipsorum opera deinde impressa fuere Bucoresti in Wallachiâ, ad annum 1690. hoc titulo: *τὰ Μακαρίτη Μελετή &c. καὶ τῶν Καλβινικῶν κεφαλαίων, καὶ ἐρωτήσεων. Κυρίως τὰ λυκαριῶς Ἀντίρρησις. Ἐκ Δοσιθέου... ἐγχειρίδιον κατὰ τῆς Καλβινικῆς Φρενοβλαβείας. Ἐν τῇ περιφύμῳ πόλει Βουκουρεστί.* Hic secundus conscriptus est linguâ græcâ communi; alter vulgari. Primum ex quæsitis erat; *an ab omnibus promissæ Christianis legenda sit S. Scriptura.* Affirmabat Cyrillus, volebâtque id esse necessarium, de quibusdam saltem libris loquendo; quam resolutionem plurimis argumentis retundit Meletius, observans primò, *adversari id consuetudini, quàm à primis jam inde temporibus Græci tenuit Ecclesia.* Alterum quæsitum erat: *An perspicua sit Scriptura Christianis omnibus eam legentibus?* Cujus occasione ostendit Meletius, quàm longè aberrant à verò Lutheri & Calvini discipuli, dum hoc affirmant, & quomodo hæc ratione à Patrum omnium doctrinâ deficiant.

5. DOSITHEUS in tractatu suo declarat primùm, quàm injustè jactitârunt Calviniani faventem se habere sibi græcâ Ecclesiam; asseritque ægrè credi posse illam fidei professionem esse Cyrilli, adducens loca complura ex ejusdem hominibus eidem planè contraria, atque prorsus Catholica. At eo nondum tempore ab Hollandis allectus fuerat. Hæc pars apologiæ Græcorum, quemadmodum eam ipse vocat, inserta modò reperitur ultimo tomo Conciliorum, titulum gerens *Synodi Jerosolymitanæ.* Verum hic titulus in impressione Bucorestianâ non est, neque esse debet. Refert porro Dositheus acta Synodorum ante nominatarum. In primâ Constantinopolitanâ præcedit Decretum, quo duodenis vicibus anathema dicitur *Cyrillo cognomine Lucari*, quod consenserit tot hæreticis doctrinis; præceditque aliud anathema, quod Ecclesiam Orientalem cum Calvino in impiis illis capitulis à Cyrillo editis consentire non sinè summo piaculo dixerit. Alio percellitur anathemate, quod dixerit, Deum ante orbem conditum nonnullos elegisse ad gloriam, prædestinando eos nulla meritorum habitâ ratione; alios ab æterno fine causâ rejecerit. Alio item, quod dixerit, unumquemque habere quidem peccan-

(1) pag. 146. καὶ μὴ τὰτε ἐναντιώσεται εἰς τὴν συνήθειαν τῆς ἐκκλησίας μας, ἀπὸ ἐπικερδέων ἀπ' ἀρχῆς. (2) pag. 148. Ὅταν πῶς δι' ἐκκλησίας τῆς Ἀντιόχειας καὶ τῆς Καλβινίας διηθίλῃται, καὶ ἔχῃ καὶ μίαν δυσκολίαν ἢ ἀγία γραφὴ &c. (3) pag. 20. Κυρίως τὰ ἐπικλητὰ Λυκαριῶς τὰ πῦσαν τὴν τῆς ἐκκλησίας Ἐκκλησίας, ἐν τῇ παρανομίᾳ αὐτῆς κεφαλαίων ἐπιγυμνῶν καλβινισμῶν συνεισφέρουσιν, ἀνάστημα. (4) pag. 21. τὰς μὲν τοὺς ἀγαθὸν Θεὸν πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐκλέξαι εἰς δόξαν, καὶ προσεῖναι ἔργων χάρις. τὰς δὲ πρὸ τοῦ αἰῶνα γινώσκειν ἀποβεβλημένους αἰτίας χάρις. (5) ἀγαθὸν δὲ μετὰ χάρις. αἱ ἀναίρεται τὰς προφητικὰς, καὶ ἐκκλησιαστικὰς &c.

di, non autem bene operandi potestatem; contra doctrinam Scripturae, quae ait: Si volueritis &c. Sequuntur acta Synodi Jasionae, quae non sine errore inter Concilia reponitur primo loco, sub titulo Concilii Constantinopolitani. In primo articulo continetur error hodiernus Graecorum de Spiritus Sancti processione. In ceteris omnibus reprobantur Calvinianorum errores; tertio damnantur, qui credunt, Deum praedestinare ad infernum ante, quam habeat ullam causam; nec minus rejicitur opinio dicentium, Deum praedestinare ad gloriam, non habitū operum ratione; non comprehenso dissidio, imò ne perspectis quidem Catholicorum ita opinantium rationibus. Praeter capitula Cyrilli damnantur pariter quatuor quaestiones, quorum uno contendebat, legendam esse ab omnibus Scripturam. Proponit postea Dositheus prolixam fidei professionem, ut omnes norint, quanam suae sint Ecclesiae dogmata. In hac videri vel maxime potest, quanta sit Graecorum etiam Schismaticorum cum Latinis consensus, exceptis duntaxat paucis illis articulis, in quibus malitia aliena ob alios fines fatale hoc schisma invexit. Legitur capite tertio: *Quia praevidebat hos quidem bene, illos autem male libero suo usus arbitrio, eos aut praedestinavit; aut reprobat. Usus autem liberi arbitrii hoc modo intelligimus; quod, cum gratia Divina illuminans, quam etiam praevientem vocamus, luminis instar homini in tenebris sedenti affulgentis, à Divina bonitate omnibus concedatur; illis etiam qui ei locum dare (non enim nolentibus, sed volentibus prodest); et consentire in rebus ad salutem necessariis, quas imperat, volunt per consequens etiam gratia concedatur specialis; quae cooperando, viresque confirmando, et in Dei amore, hoc est in omni bono, quod à nobis Deus exigit, constantes efficiendo justos facit, atque praedestinati accenset. Gratiae autem obedire, et consentire nolentibus; atque ideo nec ea, quae nos facere vult Deus, observanti-*

bus, liberoque arbitrio, quae ad bonum sponte agendum à Deo nacti sunt, ad Satanae consilia exequenda abutentibus incumbit derelictio in damnationem aeternam. Decimo sexto capite, ubi agitur de Eucharistia, & Transubstantiatione digressionem facit Dositheus, quae per 40. fere paginas excurrit, neque habetur in Conciliis, aut aliā quādam editione. Ostendit ibidem perpetuam Ecclesiae Graecae cum Latinā consensionem; infinitas congerit auctoritates, ducto initio à Patribus antiquioribus ad hodiernos usque ipsorum Scriptores. Viginti minimum & quatuor clarissima loca proferuntur ex D. Joanne Chrysostomo: agnoscitur ex his omnibus potest, an necessum sit S. hujus Patris sensum eruere ex epistola ad Caesarium. Referuntur demum quatuor quaestiones; probatque in primo Dositheus, debere quidem omnes ex apto interprete audire SS. librorum argumentum; vetandum autem esse illiteratis, ne eos legant in lingua maternā, ob damna, quae inde possint existere. Videamus ex his omnibus, quantum Calvinianis malum attulerit dolus adhibitus ad persuadendum, hodiernos Graecos suis novitatibus esse conformes; dum contra permisit Deus, ut inde major quā unquam aliās arripere occasio faciendi omnibus manifestum Ecclesiae Latinae & Graecae omnigenum in singularibus hisce capitibus consensum. In Bibliotheca Peronenſi Manuscripta (quae nunquam adhuc absoluta, ad veriorum duplici ex capite reddendum suum titulum, semper fortassis manebit *manuscripta*), oblata per codicem quendam Graecum recentiorum occasione prolixè differitur de inedita hac fidei professione, ad quam jubente Principe Bassaraba adstringere conabantur Presbyterum Saisium Missionarium Walachiae. Possent derivari inde in rem nostram animadversiones quaedam haud levis momenti: sed latius nos hic diffundere modò non vacat.

(1) ἐν δὲ τῷ τρίτῳ τὸν Θεὸν ὑποτίθεται ἀδικῶτατος τυραννικὴ χάρις ἐκείνη, μὴ λόγῳ τῇ θελήσει αὐτοῦ &c.
(2) pag. 30. πιστεύομεν &c. ἀλλ' ὅτι πάντες μὲν προεῖδον καλῶς τὴν ἀντιθέσιν ὑποθέσιν, τῶν δὲ κακῶς, προεῖδον, ἢ κατακρίναν. Εὐνοῦμεν δὲ τὴν χάριν τῇ ἀντιθέσει ὅπως, ὡς τῆς θέας, καὶ φωτιστικῆς χάριτος, ἢ καὶ προκαταρκτικῆς προενομιμίας (οἷον ὅπως τοῖς ἐν σκοτεινῇ παρὰ τῆς θεῆας ἀγαθότητος πᾶσι χρηρηνομένοις, τοῖς βυθούμενοις ὑπὲρ αὐτῆς) καὶ γὰρ ἡ τῆς μὴ θέας, ἀλλὰ τῆς θέας ἀρετῆς καὶ συνεκατατεθειμένη ἐν αὐτῇ ἐκείνῃ ἐντίλκεται πρὸς σωτηρίαν ὡς ἀναγκασιότατος, δωρεῶν ἐκείνης, καὶ ἰδικῆς χάριτος, ὅτι συνεργῶσα, καὶ ἐνδυναμοῦσα, καὶ ἐμμένους πρὸς τὴν τῷ Θεῷ ἀγάπην, τ' αὐτὴν ἐκτελεῖ, πρὸς ὃν Θεὸς θέλει ἡμᾶς ἐργάζεσθαι ἀγαθὰ, (ἢ καὶ προκαταρκτικῆς χάριτος προετίλκεται) ἀποτελεῖσθαι, δικαιοῖ, καὶ προενομιμίας ποιεῖ, τοῖς δὲ μὴ θέαν ἐκείνην, καὶ συνεκατατεθειμένη τῇ χάριτι, καὶ διὰ πᾶτο ὃ δὲ Θεὸς βούλεται ἡμᾶς ἐργάζεσθαι, τηρεῖ, καὶ &c. . . γινώσκων τὴν παρεχόμενην εἰς αἰδίαν κατακρίσιν.

FINIS LIBRI DECIMI QUINTI.

HISTORIAE THEOLOGICAE

LIBER XVI.

Referuntur denique doctrinae SS. Patrum aliorumque Scriptorum quinti
seculi, posteriorum Augustino.

POSTREMAM colligendis opinionibus, quae prioribus saeculis in his materiis viguere, manum imposituris offerunt se demum Authores, qui saeculo isto post Augustinum floruerunt. In declarandis, tuendisque ipsius doctrinis ceteris fere palmam praeripuit D. Prosper. De illius ad ipsum Augustinum epistolâ, quâ eum rogat, ut perspicuè exponat, quomodo per istam praeparantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium, alibi iam tantum, quantum satis erat, disputatum est. Alteram eâ super re scripsit ad Ruffinum, gratiae necessitatem propugnans, vocationemque ad fidem demonstrans esse gratuitam; neque tamen ullum hoc pacto invehi facti genus; blasphemiam autem¹ quod gratia Dei secundum merita hominum detur, Apostolicae Sedis auctoritate, & Africanorum Conciliorum vigilantia iam tantum esse damnatam. Retundit hic optime impactam Augustino calumniam, à dicentibus, cum liberum arbitrium penitus submovere; & duas humani generis massas constituere; quarum alia sit, alia non sit damnata; quando nonnisi ipse unam solam admitteret, eamque totam per primum peccatum damnatam. Id, quod toties explicuerit, ut de contrario accusari nonnisi summâ possit temeritate.² Omnes una massa luti facti sumus, quod est massa peccati; eadem massa omnes involvit. Cum autem paulo post indigna prodierit accusatio quorundam librorum Augustini, dissolvit Prosper omnem difficultatem sigillatim, in respons. ad object. & calumn. Gallorum.

D. Prosper
vindictat
Augusti-
num.

Argumenta
adversario-
rum.

Responsio
D. Prospe-
ri.

2. CONTENDEBANT inprimis his in objectionibus adversarii idem esse Praedestinationem & fatum; ideoque S. Patrem fatum praedicare; omnemque hominibus spem eripere, docendo, quod pendeant omnia ex eo, quod simus iam tantum vel Caelo, vel inferno destinati. Prosper Catholicam Magistri sui doctrinam non defendit, respondendo, massam fuisse condemnatam; posseque supremum arbitrium suo libitu inde vasa effingere vel in honorem, vel in contumeliam. Sed insinuando po-

tius, hujus nostrae fortis causam nos esse, cum verum quidem sit, ³ primi peccati poena neminem liberari; nisi per gratiam Domini nostri IESU Christi preparatam, & praedestinatam in aeterno consilio Dei; at vicissim verum sit: praedestinationem filiorum Dei, & coheredum Christi non pertinere ad eos, qui à iustitiâ ad iniquitatem, à fide ad impietatem transiere. Esse itidem verum, homines sine poenitentia mortuos, ideoque damnatos non ex eo necessitatem pereundi habuisse, quia praedestinati non fuerunt; sed ideo praedestinos non fuisse, quia tales futuri ex voluntaria praevagatione praesciti fuerunt. Subjungit quoque: Non enim relictus sunt à Deo impii, ut relinquerent Deum, sed reliquerunt, & relictus sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt: atque ob hoc licet fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen, qui tales praescivit, non sunt praedestinati; non fuerunt nimirum praedestinationem consecuti completam, & integram, quae vitam etiam aeternam complectitur. Ita quibusdam interjectis: sed horum lapsus Deo adscribere, flagitium est, quasi horum ipse author foret; quia illos ruinuros propria ipsorum voluntate praescivit, & ob hoc à filiis perditionis nullâ praedestinatione discrevit. Item: Vires itaque obedientiae non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non praedestinavit; sed ideo eum non praedestinavit, quia necessarium ab ipsâ obedientiâ esse praevidebat. Ac iterum: Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione praevidebat, ideo in praedestinationis electione non habuit. Quis itaque furor est, contendere, quod Augustinus, & Prosper censuerint, Deum homines destinare inferno, nullâ ipsi inculpâ movente? Eodem vigore retundit hic author criminationes ceteras contra Magistrum suum à Pelagianis proctusas; crebroque adducit ipsas ejus commentationes modicè immutatas. Primum gratiae medicinalis effectum esse, posse desiderare, & implorare auxilium; hujus doni beneficio acquiri meritum: non credere, aut non credere in vocatis ab eorum provenire voluntate. Nefas esse scrutari velle, cur Deus non

(1) S. Prosp. edit. Par. ann. 1711. pag. 87. (2) ibid. n. 89. (3) Aug. de quaest. 83. qu. 68. n. 2. epist. 194. n. 4. (4) pag. 205. 207. 210. 216. 220.